



VITÆ ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM


QUI SÆCULO XVIII. FLORUERUNT.

DECAS III.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO





ROMÆ MDCCLXX.

TYPIS S. MICHAELIS APUD JUNCHIUM.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Prostant venales apud Natalem Barbiellini
in foro Pasquini.

CLEMENTI XIV.

PONTIFICI MAXIMO

AUCTORI PACIS

PUBLICAEQUE FELICITATIS

ANGELUS FABRONIUS

D. N. M. E.

INDEX

VITARUM.



IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dom. Jordani Patr. Antioch. Vicesgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Sacri Palatii Apostolici Magister Ord. Prædic.

FRAN-



FRANCISCO JACQUIERIO

ANGELUS FABRONIUS S.

QVO primum tempore Romæ te cognovi, perspexi plane singularem doctrinam tuam summa cum humanitate conjunctam, eaque propter amavi te semper plurimum, semperque non vulgari observantia sum prosecutus. Quoniam vero ita Deus tulit, ut intervallo locorum disjungeremur, gaudeo datam a te ipso occasionem repetendi initia nostræ amicitiæ, experiendique, num ab ea quidquam longinquitas relaxaverit. Meminisse debes sæpe inter nos collocutos fuisse de præstanti doctrina Francisci Blanchinii, nec semel me a te admonitum, ut hominis, quem tibi amor, consuetudo, & paria studia copulaverant, vi-

tam Latine describerem . Cum primum potui parui consiliis tuis ; in quo perficiendo eo alacrior fui , quo majorem spem habui te opus correcturum . Profecto non patieris frustra implorari auxilium tuum , ad quod facilius obtinendum curavi , ut postulata quoque sua interponeret amplissimus vir , utriusque nostrum amantissimus , Laurus Bretullius . Heus tu , inquies , quid deprecatorem adhibes ? Nonne satis novisti facilitatem meam ? Novi equidem , humanissime Jacquieri , & in multis rebus expertus sum , ac praesertim in vita Eustachii Manfredii , quam non solum gravissimo judicio tuo expendendam suscepisti , sed etiam eruditis observationibus locupletasti , quae lumen atque ornamentum maximum eidem attulere : sed non propterea putavi dimittendum pudorem in rogando meum , qui me semper admonuit amicorum opera sic uti , ut intelligant velle me illam non in mercedis , sed in beneficii loco numerare . Peto igitur abs te majorem in modum & pro nostra amicitia , & pro constanti tua in Bretullium observantia , ut commentariolum de vita Francisci Blanchinii , quod cum his litteris

teris

teris ad te veniet , in fidem tuam recipias . Reprehendes ea quæ vituperanda duces , quæ placebunt comprobabis ; & si liberius , sicuti mihi opto , agendum putabis , adeo multa affinges , detrahes , ac mutabis , ut totum aliud facias . Ad quod perficiendum plurimum valebunt domesticus usus , qui tibi cum Blanchinio fuit , & perfecta cognitio earum facultatum , quas immortalis ille vir suis scriptis illustravit . Nam te non solum Philosophia , & mathematicæ disciplinæ , in quibus paucos pares habes , sed & omnis ars , & doctrina libero homine digna semper delectarunt . Tui autem , tuique similium exemplum utinam sibi proponerent incauti illi adolescentes , qui despicientes , & pro nihilo putantes studia humanitatis atque eruditionis , illotis , ut ajunt , manibus reconditiores illas facultates tractare non verentur . Interea sine sensu , sine sapore , sine notitia præteritarum rerum , rudes , omnium vitæ opportunorum ignari , elingues , sibi tamen & factioni suæ superbe plaudentes , ætatem degunt , & si quid scribere aggrediuntur , allium & cæpe olent , infantia , barbarie , stribi-

 ligi-

ligine, quantum profecerint, eruditis facile ostendunt. Nemo est in litteris mediocriter versatus, qui ignorare possit, disciplinas, artesque liberalissimas, ex quibus universa, perfectaque doctrina coaelescit, communi quodam cognationis vinculo inter se contineri; & quo una aliqua disciplina majori in obscúritate rerum, & magis recondita in arte, & multiplici, subtilique versatur, qualis profecto est res mathematica, eo illam plura, atque majora doctrinarum adjumenta requirere. Quæ si satis intelligerent studiorum moderatores, non doleremus fortasse ita dilapsam esse humaniorum litterarum fortunam, vix ut ulla pristini splendoris vestigia appareant. Vale, mi Jacquieri, tibique persuade omnia officia, quæ ab amico vetere, & multis in rebus probato expectari possunt, tibi & esse a me, & fore semper parata.

Florentiæ Kal. Maii MDCCLXIX.

FRANCISCUS BLANCHINIUS.



Eronæ, quæ urbs ſemper floruit viris doctrina excellentibus, ortus eſt FRANCISCUS BLANCHINIUS Idibus Decembris an. MDCLXII. cum parentes habuiſſet Gaſparem Blanchinium hominem probitate, & divitiis affluentem, optimamque feminam Corneliam Vailettam, quæ familia in illuſtrioribus Bergomatium adnumeratur. Hos magna ſpes tenebat bene ſibi eventurum de puero, qui a primis annis non vulgaria argumenta dederat docilitatis ingenii, diligentiæ in ſtudiis, bonitatiſque morum. Bononiam miſſus cum undecim eſſet annorum, ut inſtitueretur ab hominibus Societatis Jesu, qui regunt collegium Aloyſianum, his præceptoribus cum in politioribus litteris, tum in Philoſophia, ac præſertim Geometria plurimum profecit; nec periculum ullum ingenii fuit, quod non libentiſſime ſubierit, & quo cum ſummo Bononienſium plauſu non ſit defunctus. Muſicam quoque attigit, ſeque in delineandi, pingendique arte exercuit; quæ

res magno ei poſtea uſui fuit in naturalis hiſtoriæ, antiquitatiſque ſtudiis excolendis. Vitam inter Jeſuitas degens adoleſcentulus ſumma in Deum ac Deiparam Virginem pietate, ſuaviſſimiſque moribus facile in illud conſilium adductus eſt, ut illorum Societati nomen daret. Hoc autem conſilium, ut liberiori judicio perpenderet, juſſit illum pater ſe conferre Patavium ad perſequenda doctrinarum ſtudia, utque poſtea abjiceret, effecit Picinardius e Dominicana familia, quo Theologiæ uſus eſt doctore. Patavium cum veniſſet exeunte anno MDCLXXX. nactus eſt contubernium viri optimi, atque doctiſſimi Geminiani Montanarii, qui in illius civitatis gymnaſio mathematicas diſciplinas tradebat. Captus hic adeo fuit adoleſcentis humanitate, & doctrina, ut illum non ſecus ac filium diligeret. Itaque & conſilio, & opera omnibus in rebus eidem præſto fuit; conciliavitque ei quoque benevolentiam Corerii viri nobilitate inſignis, & multis litteris, ſed præſertim antiquitatis, & aſtrorum ſcientia eruditiſſimi, quas facultates perfecte tenendi mirum deſiderium in

Blan-

Blanchinio excitavit eo tempore , quo illum hoſpitem habuit Brixiæ , ubi Præturam gerebat . Et facile quidem fuit ad præclariſſimas facultates impellere hominem , in quo inexhauſta erat ſciendi aviditas . In ſacra Theologiæ adita penetraverat , non mediocriter ſtuduerat rei anatomicæ , plurimum verſatus fuerat in arte herbaria , Lælio Triumphetto duce , adeoque inſtitutionibus Montanarii in optimo philoſophandi genere , & in omni pene re mathematica proceſſerat , ut inter illius diſcipulos unus maxime floreret . Id cum reſpiceret Montanarius moriens legavit ei magnam inſtrumentorum copiam , quibus uſus erat in iiſdem facultatibus exercendis . Tot vero tantiſque beneficiis ut reſponderet Franciſcus , utque deſiderium leniret cariſſimi præceptoris , illius vitam conſcripſit . Hoc ſtudiorum confecto curriculo , Romam venit an. MDCLXXXIV. ſperans Cardinale Petro Ottobonio fautore , cui bene cognitus erat , poſſe ad aliquem fortunæ gradum pervenire . Omnino Cardinalis humaniſſime excepit Blanchinium , huncque bibliothecæ ſuæ præfecit . Quo-

niam autem Romæ magna propofita effe fo. lent præmia iis , qui in Juris prudentia excellunt , amicorum hortatu Francifcus huic quoque difciplinæ operam non mediocrem dedit ; fed jurgia , & forum femper averfatus eft . Tum humaniffima complebatur voluptate , fi fupera ac cæleftia obfervaret ; folitufque erat dicere animorum naturale dulciffimumque quoddam quafi pabulum effe confiderationem contemplationemque naturæ. Cometem cum detexiffet , particeps fieri voluit Chriftina Svecorum Regina earum rerum , quæ de illius motu animadverfæ ac notatæ ab ipfo fuerant. Adfcriptus Academiæ Phifico-Mathematicæ a Joanne Ciampinio inftitutæ , ita verfabatur in doctiffimorum virorum flore , ut ejus doctrinam omnes admirarentur ; cumque aliquando eum differentem de rebus mathematicis in eadem Academia audiviffet Joannes Mabillonius, non modo voce , fed etiam fcriptis multa & honorifice , & graviter de ipfo prædicavit . Biennium poftquam Romæ fuit in patriam rediit , ut domefticis quibufdam rebus fuis confuleret . Cumque magna
effet

effet ejus auctoritas apud cives ſuos , nobile nomen , laus doctrinæ maxima , facile iis perſuaſit , ut Aletophilorum Academiam prope intermortuam ad vitam revocarent , utque phyſicæ ſtudia pulcherrime in ea colerent . Qua occaſione binas diſſertationes ſcripſit , alteram *de emblemate , nomine , atque inſtituto Aletophilorum : de methodo philoſophandi in rebus phyſicis* alteram , qua oſtendere præſertim voluit ſine Geometriæ ſubſidio mancam & infirmam eſſe contemplationem naturæ . Celeriter expeditis domeſticis negotiis ſuis , Romam remigravit ea mente , ut ibi omnium rerum , & fortunarum ſuarum ſedem collocaret . Neque multo poſt Pontifex Maximus creatur Cardinalis Ottobonius , a quo omnia ſumma Franciſcus ſibi polliceri poſſe videbatur , ſi eidem diutius vivere contigiſſet . Nullus enim ferme dies intercedebat, quo Pontifex non ad ſe advocaret Blanchinium , vel ut eo anagnoſte uteretur , vel ut cum ipſo eruditos ſermones conferret . Itaque & Canonicatu S. Mariæ ad Martyres , & jure exigendi quaſdam eccleſiaſticas penſiones dona-

natus eſt ; quibus rebus contentus homo modeſtiſſimus nihil amplius requiſivit . Retinuit & præfecturam bibliothecæ Ottobonianæ , qua una re plus ſe debere Pontifici profitebatur , quam ſi ab eo ampliſſimos honores , ampliſſimaſque fortunas accepiſſet . Nam quotidie ad multas horas abdebat ſe in eandem bibliothecam librorum copia , ac præſtantia inſignem , ibique aut legens, aut ſcribens litteris ſe involvebat . Vir natus ad ſapientiam nullam eruditionis partem ignorare velle videbatur ; & quaſi helluo librorum nihil reformidans inanem vulgi reprehenſionem , in ipſis publicis viis ſæpe legere ſolebat . Sed præſertim in eo eſt laudandus , quod non putavit poſſe ſe uberiores virtutis ac ſapientiæ fontes reperire , quam ſi veterum Græcorum , Latinorumque libros nunquam de manibus deponeret . Numiſmata etiam , inſcriptiones , ſarcophagos , reliquaque hujuſmodi monumenta , quibus Roma , ut omnes ſciunt , mirum in modum abundat , curioſe conquirere , & ſedulo ſcrutari minime prætermittebat , quod hæc collata cum antiquis ſcriptoribus

bus lucem viciſſim afferre, & accipere intelligebat. Siquid hujuſmodi deliciarum e tenebris erueretur, aderat ſtatim Blanchinius, ut obſervaret, earundemque imaginem calamo exprimeret: quæ Romæ extant rudera, crebro inviſebat, atque illorum adeundorum aut difficultas, aut incommodum, aut periculum minime illum retardabat, quin immo invitabat, atque alliciebat; nec quidquam erat obſervatione dignum, quod ejus oculos effugeret: mirum vero quam ſagaciter de iis conjiceret quæ tempus aut roſerat, aut diruerat. Subſidium belliſſimum eſſe exiſtimavit innumera, quæ obſervaverat antiquitatis monumenta, conficiendæ hiſtoriæ, quæ a creatione mundi exordiens omnium ætatum memoriam breviter complecteretur, earumque velut iconographiam exhiberet, quam qui intueretur ſe ſe non unis, ut verbis Ciceronis utar, circumdatum mœnibus popularem alicujus definiti loci, ſed civem totius mundi, quaſi unius urbis agnoſceret. Sicuti autem in deſcriptione alicujus urbis omnia repræſentari nec poſſunt, nec debent,

quæ

quæ ad illam quoquo modo pertinent, ita Franciſcus rejecit a ſua hiſtoria minutas quaſdam res, quarum narrationem annalibus potius convenire putavit. Sejunxit quoque ab ipſa quæ non hominis propria, & quæ incluſa in ſacris libris nonniſi divino teſtimonio comprobari poſſunt. Omnino profanam, profaniſque comprobatam monumentis contexere voluit hiſtoriam, divinam & eccleſiaſticam in aliud tempus, & in aliud opus rejiciens. Tripartita fuit diviſio illius: ſingulis autem partibus cum deſtinaſſet quadraginta capita, fecit ut unumquodque caput prioris partis hiſtoriam unius ſæculi comprehenſam haberet; reliquarum partium capita non ſæcularia, ſed vicennaria deſignavit. Tali modo prima pars hiſtoriam producere debebat a mundi origine ad Auguſti imperium, ſecunda ab Auguſto ad Carolum Magnum, tertia ab hujus ætate uſque ad Auctoris tempora. Sane commoda videbatur hæc diſtributio, ut pote quæ memoriæ maxime ſervire poterat. Sed ex tribus operis partibus vix primam abſolvit Blanchinius, cujus partis unicum

cum extat volumen Romæ an. MDCXCVII. editum, quod historiam continet triginta duarum ætatum ad Assyriorum usque imperii ruinam. Ex hoc profecto intelligere licet illum adeo diligenter antiquitatem habuisse cognitam, ut eam fere totam in eodem volumine exposuerit. Quod si præcipua laude ferendus esset, qui sparsa in immenso solo magni alicujus ædificii cæmenta sic coacervaret, ut pristinam illius formam agnosceremus; cur non singularis ejus existimabitur prudentia atque industria, qui ex disseminatis ubique Ægyptiorum, Græcorum, Romanorumque marmoreis, atque æneis monumentis, nec non veterum scriptorum fragmentis, ceterisque antiquitatis reliquiis formam non dicam adumbravit, sed expressit vetustissimorum temporum? Hanc qui intuebitur facile cognoscet civitatum, omnisque humanæ societatis constitutiones, exortus, cursus, occasus regnorum, atque rerum publicarum, originem, & progressionem artium, scientiarum, ludorum, omniumque pene rerum, quæ ad religionem, ejusque ritus, rem bellicam, atque ma-

maritimam ſpectant . De bello Troico diſſerens ei cauſſam dediſſe putat non Helenæ raptum , quod leve nimis videretur , ſed navigationem Ægei & Euxini marium . Scimus enim vel a primis temporibus populos de acquirendo , conſervandoque ſibi maris dominatu , aut ſaltem libero ejus uſu , quem Blanchinius *Thalaſſocratiæ* Græco nomine vocat , ſtudioſe contendiſſe ; nec aliunde originem memoratum bellum habuiſſe illud maximo argumento eſt , quod non Trojæ expugnatio illud extinxit , ſed conditiones quædam ad comercium pertinentes , quæ inter Græcos & Trojanos convenerunt . Ex quo illud conſequi neceſſe eſt Homeri Illiadem totam allegoricam eſſe , Homericoſque Deos , quorum turpitudines , ac vitia intoleranda videntur , deſignare Principes viros , aut nationes , a quibus nihil humani alienum eſſe exiſtimari debet . Seſoſtris Arabiæ Rex ſuam in poteſtatem redegerat Ægyptum , & univerſam pene Aſiam : ſed illo mortuo , domiti Reges ſuſtulerunt animos , & a cervicibus ſuis jugum ſervile paullatim dejecerunt . Ubi incenſum Troicum bel-

lum ,

lum, qui eo tempore regnabant Sesostris successores, sinere coguntur belli potentes Principes quam vellent partem pro cujusque studio atque utilitate tenere. Hos minorum Deorum, illos Jovis nomine Poeta denotat, apud quem Juno λευκώλενη est imago albæ Syriæ, Minerva Sapientis Ægypti, Mars icti fœderis inter Armenos, Colchos, Thraces, & Thessalos, & sic de ceteris. Ita facilis & prompta defensio est Homeri, cui divini cognomen idcirco multi denegarunt, quod visus est turpia & indigna tribuisse Diis. Nimis profecto longus essem si breviter etiam summatimque describere vellem res novas, atque admirabiles, quas Blanchinius indagavit, ac patefecit sua in historia, cui ullum ne deesset ornamentum extare voluit in principio cujusque capitis imagines monumentorum antiquitatis, quibus præcipue usus est ad fidem narrandis rebus conciliandam. Vehementer ille lætatus est opus hoc multarum vigiliarum sic excepisse homines, ut admirari ac prædicare non cessarent ubertatem, varietatem, & copiam reconditioris eruditionis, acu-

acumen judicii in conjiciendo, occultissimaque perspiciendo, ordinemque, qui memoriæ maxime lumen affert, in iisdem exponendis. Maturius sibi de hoc libro edendo cogitandum putavit, quod sciebat Summum Pontificem Innocentium XII. vacuo muneri Custodis Bibliothecæ Vaticanæ eum potissimum præfecturum, cujus majora exstarent testimonia doctrinæ. Sed quoniam ea est infelix conditio Principum, ut aliorum magis judicio, quam suo, judicent, & sæpe iis veritas occultetur, antetulit Innocentius Blanchinio virum profecto Græcis, & Latinis litteris doctum, sed nullo modo cum ipso comparandum. Illius fortunam dolens Cardinalis Ottobonius sua liberalitate sublevandam putavit. Itaque & Canonicum S. Laurentii in Damaso eundem creavit, aliisque, nec iis mediocribus, complexus est beneficiis. Post neque ita multo cum Pontifex Maximus factus esset Clemens XI., ab eo inter honorarios suos cubicularios primum, mox inter canonicos Liberianæ Basilicæ relatus est. Mandata etiam ab eo habuit de emendando

Ka-

Kalendario Romano, cui negotio cum alios doctos viros, & in his Cardinalem Norisium, Pontifex præposuisset, munus notandi, referendique quidquid consuleretur, Blanchinio assignavit. Non defuerunt maledici, qui illum criminarentur apud Pontificem non pauca quæ scire interesset ipsum consulto reticuisse. Sed facile fuit homini probitate, & fide singulari omnem a se suspicionem removere. Quid vero ipse egerit, quantum laboraverit in mandato exequendo, quidque de tota re senserit, ex iis quæ litteris consignavit, quæque nos referemus, facile intelligi potest. Edidit anno MDCCIII. librum qui inscribitur: *solutio Problematis Paschalis*: Problema autem illud est; *an disponi possit cyclus Paschalis constans annis Gregorianis*; *qui Pascha semper indicet tempore congruo*; *hoc est die Dominica intra hebdomadam tertiam lunæ*? Id fieri posse contendit Blanchinius, affertque cyclum quemdam a se excogitatum, quem octogrammum idcirco nominat, quia octo litteris apte dispositis utitur ad indicandam lunam XIV, epactarum

 usum

usum reservans ad investigandum novilunii diem. Cujus cycli ut veritas pateat, nonnulla de ratione numerandi lunam XIV. definiendique diem æquinoctii præmittit. Vult initium novilunii medii ab eo temporis momento computandum, in quod incurrit; decursasque ab eodem momento horas XXIV. diem primum lunæ juxta motus medios efficere. Diem, in quem finis diei medii incidit, lunæ primum civilem appellat; illum vero, in quem cyclus finem medii cadere denotat, sive re vera cadat, sive non, cyclarem nominat; hincque omnes intelligere possunt quæ sit hebdomada prima, secunda, aut tertia lunæ, cyclaris, civilis, & juxta motus medios. Cum autem illud pro demonstrato habeat ita per cyclum disponi posse annos Gregorianos, ut dies XXI. Martii contineat punctum veri, aut medii æquinoctii, idcirco hunc diem pro æquinoctiali statuit. Quibus, aliisque positis problematis solutionem aggreditur, periodumque MCLXXXIV. annorum proponit, quam Clementinam a Clemente XI. honoris caussa nominat. Hujus pe-

periodi initium facit ab anno MDC. æræ Christianæ, eandemque semper instaurari posse, contendit, sive bissextilis, sive non fuerit annus, in quem periodus ipsa desinat; quin propterea timere debeamus, ne Pascha e sua sede dimoveatur, quam statuit esse diem Dominicum intra tertiam lunæ hebdomadam civilem mensis primi. In fine libri non pauca quæ in dubium ventura videbantur ita explicat, ut nunquam a mente & sententia Gregorii XIII. se discrepare putet; neque ambigit post multas observationes a se habitas, collatasque cum iis, quas alii astronomi fecerunt, quantitatem anni solaris eam tutissimam esse, quam mathematici Gregoriani adhibuerunt. Monet insuper quidnam sit illud temporis spatium, quo communes tabulæ a cyclo octogrammo differunt in notandis diebus Pascharum hujus sæculi; contenditque, ut alia multa silentio prætercam, secundum Canones Nicænos, decretaque Gregorii XIII. nec non præstantiorum scriptorum sententiam Pascha anni MDCCVII. XV. Kal. Majas celebrandum esse. Eodem an. MDCCIII.

publici juris fecit, & Clementi XI. dicavit binas Dissertationes *de Kalendario & cyclo Cæsaris* alteram, alteram *de Paschali canone S. Hyppoliti Martyris*, quorum utrumque in suo cyclo octogrammo componendo non mediocri sibi adjumento fuisse fatetur. Marmorea hæc monumenta e veteris Romæ ruderibus effossa fuerunt Sæculo XVI.; & quamvis non defuissent doctissimi viri, qui illa explicassent, non tamen se actum agere putavit Franciscus, si uberius, & diligentius eadem explananda susciperet. Cyclus Cæsaris designat fastos Kalendares; & cetera inter adscriptos habet singulis anni diebus binos litterarum ordines, quorum primus exhibet octo priores alphabeti Romani litteras sibi semper, dum totum anni cursum confecerint, invicem succedentes, cum secundus habeat litteras indicantes dies fastos, nefastos, & comitiales. Adversus Josephum Scaligerum, Bucherium, Petavium, aliosque multos contendit Blanchinius primum litterarum ordinem minime repræsentare dies nundinales, sed cyclum quemdam lunarem, quem
ipse

ipſe eleganter, & ingenioſe magis quam vere explicat. Nam ex quibuſdam, quæ ſuperſunt, tituli verbis colligere ſe poſſe exiſtimat illas litteras quatuor diverſis coloribus diſtinctas fuiſſe ad indicandum diem, in quem ſolſtitiorum, & æquinoctiorum novilunium cadit. Cyclo ita explicato hunc conſentire probat cum omnibus ſolis & lunæ defectionibus, quas ab ætate Cæſaris ad tria, quæ conſecuta ſunt, ſæcula æræ Chriſtianæ, quibus præceſſio lunaris diem integrum non excedebat, eveniſſe ſcimus; ex quo concludit novilunia, & plenilunia illorum trium ſæculorum rectius indicari per cyclum Cæſaris, quam per epactas communes, quod hæ aliquando per triduum integrum aberrent a veris motibus, cum defectiones illæ raro per biduum a cyclo diſcrepent, & fere ſemper eodem die indicentur. Hunc eundem cyclum accommodatiſſimum fuiſſe oſtendit ad vulgarem, popularemque uſum cunctarum pene gentium; hincque illum facile aptari potuiſſe non ſolum trimeſtribus annis Arcadum, ſemeſtribus Acarnanum, aliiſque aliorum populorum, qui eſ-



eſſent anno Juliano minores, verum etiam majoribus, quibus ad ſtatos quoſdam ſolis & lunæ adſpectus Eleuſina magna, Olympia, Pythia, & hujuſmodi alia feſta erant celebranda. Quæ dum perſequitur Blanchinius undique ſpargit ubertatem, varietatemque eruditionis; nec alienum a propoſito putavit ſi reliqua inter monumenta antiquitatis, quæ affert, & ad cauſſæ ſuæ commodum trahit, in medium quoque proferret, copioſeque explicaret quæ exculpta ſunt in baſi columnæ Antonino Pio poſt ejuſdem ἀποθέωσιν dicatæ. De cyclo Cæſaris ſatis ſuperque dictum. Venio nunc ad Paſchalem canonem S. Hyppoliti, qui viſitur in Bibliotheca Vaticana inſculptus ad latera cujuſdam ſellæ marmoreæ, in qua ejuſdem Epiſcopi ſimulacrum ſedet. Putat Blanchinius in dextero latere exhibente lunas XIV. per cyclum eptagrammum repræſentari tres periodos, minorem CXII. majorem DCCLXXXIV. & maximam MMMCCXXXXVIII. annorum, adeo ut ejus ope facile ſit invenire dies, quibus Paſcha in veteri lege celebratum fuerit; neque

in dubium revocat extantes litteras in sinistro latere indicare Paschales dominicos dies. Idem nonnullos errores, quos imperitus artifex sculpsit in ipso latere, coarguit & corrigit, methodumque innuit ita perficiendi hunc cyclum, ut ejus usus communis esse possit, minimeque abhorrens a suscepta his temporibus peragendi Paschæ consuetudine. Denique cyclum suum octogrammum cum Juliano, & Hyppolitæo comparat, ex quo postremo, certa suis locis aptata æquatione, tabulas quasdam efficit, per quas facillime ac tuto præteritorum ac futurorum Paschalum dies inveniantur; quod maximum utilissimumque fructum laboris ac studii sui in hoc condendo libro fuisse fatetur. Præter hæc alia quoque de Kalendario, cycloque suo octogrammo commentatus est Blanchinius. Nam Dialogum scribere instituit, quo tradere volebat concinnam methodum accommodandi cyclum suum ad annos veterum Arcadum, qui diebus CCCLXII. constabant, ad Olympiades, & ad omnem historiæ usum, ac postremo differere utrum utilius esset ad-

hibere annos Julianos, vel Gregorianos, quem Dialogum si perfecisset [nam minima pars illius extat] abunde satisfactum toti huic quaestioni ab eo fuisset. In hujus generis librorum numero ponendum etiam est opusculum ad Marium Crescimbenium Arcadum Academiæ custodem, quo Blanchinius aperit rationem sic utendi cyclo suo, ut is perpetuo indicet novilunium & plenilunium primi mensis æstivi, ex quo facile statui posset initium olympiacorum annorum. Nemo enim ignorat recentes Arcades veterem consuetudinem in numerandis annis longo intervallo retulisse. Quoniam vero iis erat moribus Franciscus, ut libentissime ea, de quibus moneretur a viris doctis audiret, non existimavit fieri posse a se melius, quam si sententiam amicissimi sui Joannis Dominici Cassinii exquireret tum de periodo sua Clementina, tum de rebus ad correctionem Kalendarii pertinentibus. Ex quo factum est, ut in Actis Academiæ Parisiensis nonnulla habeamus ab eodem celeberrimo astronomo observata, & notata de Kalendario; & mul-

to

to plura haberemus in hoc rerum genere tum Caſſinii, tum aliorum doctiſſimorum virorum, ſi in lucem prodiret volumen epiſtolarum, quas Blanchinius dedit, & accepit ab illis, quos de eadem correctione conſulendos putavit. Neminem autem latere arbitror irrita infectaque fuiſſe plurima quæ Blanchinius aliique ſcripſere in Pontificis exequendo mandato; nec melius actum eſſe cum iis, quos Clemens XII. huic ipſi negotio præpoſuit. Horum in numero fuit Euſtachius Manfredius, qui aliquando ſcribens ad Antonium Leprottum non dubitare ſe dixit operæ pretium eſſe Kalendarium mendis purgare, ſed deſperare ſe iſtud perfici poſſe invitis Jeſuitis aſſiduis propugnatoribus, & defenſoribus earum rerum, quas Chriſtophorus Clavius in curanda correctione Gregoriana præſtitit. Sed ut ad Blanchinium revertar, huic profecto ſumma tribuenda eſt laus, quod non ſibi ſolum, ſed etiam reliquis, qui poſt ſe in corrigendo, moderandoque Kalendario elaboraturi eſſent, ſubſidium opportuniſſimum comparavit. Lineam enim meridianam, cum ſo-

socium habuisset in hoc difficili laboriosoque opere Philippum Maraldium, ex ære fecit, cujus longitudo æquat pedes Parisinos LXXV. altitudo vero gnomonis LXII. cum dimidio. Fecit autem in Æde S. Mariæ Angelorum, principe quondam loco Thermarum Diocletiani, quem locum propter summam ædificii firmitatem omnium maxime aptum judicavit. Præter divisiones tangentis, & alia, quæ vel ad utilitatem, vel ad ornamentum pertinent, visuntur duodecim zodiaci signa singulari opere atque artificio e marmore in disparibus coloribus perfecta: singula autem signa suas habent stellas ex ære effictas, magnitudinumque varietate distinctas. Proxima est gnomoni fenestra planetarum siderumque intra tropicos observandorum caussa, in quo summam utilitatem inesse omnes norunt Astronomi. Elypsim etiam polarem, quod nullus antea præstiterat, sic descripsit Blanchinius, ut poli altitudo facillime ex ea omnibus anni temporibus colligi posset, quam altitudinem eo loci reperit esse 41.° 54.' 27.''. Rationem vero statuendi per sidus polare me-

medium noctis tempus ea tradidit epiſtola, in qua de Gnomone ſuo, quem a Clemente XI. Clementinum vocat, & de Pontificio nummo illum ipſum repræſentante cum his inſcriptionibus = *Aptata ſæcula verbo Dei = Gnomone Aſtronomico ad uſum Kalendarii conſtructo* = pluribus verbis diſſerit. Ex hac ipſa epiſtola intelligi etiam poteſt, quam ille eſſet aſſiduus, ſi per tempus licebat, in notandis tangentibus meridianis utriuſque limbi ſolaris, iiſque comparandis cum obſervationibus ab Euſtachio Manfredio per actis in Gnomone Bononienſi. Profecto non modo cum his, ſed etiam cum ephemeridibus Flaminii de mezzavachiis viri aſtrorum ſcientia praeclari mirabiliter illas conſentire vidit; quod idem ei ſucceſſit, cum ſolis locum inventum per tangentes meridianas utriuſque limbi, & per declinationem centri ſolaris inde collectam contuliſſet cum eo, quem invenit ex differentia aſcenſionis rectæ inter Syrium, & ipſum ſolem a ſe obſervatæ. Sunt & alia multa, quæ Blanchinius ſe obſervaſſe in eadem epiſtola ſcribit de æqui-

no.

noctiis, & solstitiis, de lunæ eclypsibus, de mensis synodici quantitate, de Saturno, de Jove, ejusque satellitibus. Fecit aliquando participem Philippum Maraldium earum rerum, quas diuturna observatione notaverat de iisdem satellitibus, summasque laudes a summo astronomo consecutus est. Sed præsertim Maraldio acceptissimæ fuerunt observationes, quæ pertinent ad quartum satellitem, ex quibus conjicere se posse arbitratus est suis illum minime carere maculis. Contemplanti eundem acerrime Blanchinio prid. id. sext. an. MDCCXI. repente se se ostendit forma & luce attenuatum atque imminutum. Obstupuit hujusmodi visu Franciscus, praesertim cum ceteris in satellitibus nihil simile inspiceret. Sic autem unius horæ spatio ipsius exiguitas & obscuratio crevit, vix ut conspici potuerit, & pluries etiam ex observantis oculis prorsus effugerit. Nunc quoniam referre ingressi sumus quæ Blanchinius & gessit & scripsit ad illustrandam astrorum scientiam, cujus studio vehementius in dies flagrabat, & in quo acquiescere videbatur, non putamus

mus ab inſtitutæ narrationis curſu deflectendum. Pariſienſes, atque Lipſienſes Academici multa ſuis in commentariis ſparſerunt, quæ Blanchinius notaverat de quibuſdam ſolis, lunæ, planetarumque eclipſibus, deque cometarum, qui per illa tempora apparuerunt, motibus. Nonnullas hujus generis obſervationes a Franciſco habitas retulit quoque ſuas *in Prælectiones Aſtronomicas* Guilelmus Wiſton, & multo plures leguntur in eo libro, quem edidit an. MDCCXXXVII. Euſtachius Manfredius, quique inſcribitur: *Franciſci Blanchinii Veronenſis Aſtronomicæ, ac Geographicæ obſervationes ſelectæ ex ejus autographis excerptæ &c.* Magnificum illud quidem fuit elogium, & Blanchinii nomini maxime glorioſum, quod loquens idem Manfredius cum Franciſco Jacquierio de obſervationibus, quæ pertinent ad ſtellarum aberrationes, quæque in memorato libro leguntur, non minorem iis laudem, quam Bradleianis deberi judicavit, ſive tempus, ſive diligentia, ſive acumen, quo habitæ ſunt, perpendi velit. Quibus aliiſque ſucceſſibus alacrior factus Fran-

ciſ-

ciſcus difficillima quæque ſuſcipere non dubitavit. Inter hæc fuit linea meridiana, quæ a Romano littore prope Ardeam ad Adriaticum uſque paullo ultra Ariminum per urbem Romam, ſoractem montem, & Eugubium pervaderet. Huic lineæ alteram parallelam deſignavit, quæ a rure Coſtagutiano in littore Antiati incipiens, gradienſque per vineam quamdam Collegii Hibernorum ſubtus caſtrum Gandulfum, per Vaconis pagum in Sabinis, apicemque montis illi imminentis, cui nomen eſt *monte coſcia*, per alium verticem montis altiſſimi non longe a Cantiano, qui appellatur *monte acuto*, ad oram maritimam portus Ariminenſis, quæ Orientem reſpicit, deſineret. Dolendum profecto eſt opus hujuſmodi, ex quo utilitates maxime caperentur, minime Blanchinium propter immaturum ejus interitum abſolvere potuiſſe, quod ſi ei vita ſuppeditaviſſet, non eſſet quod Galliæ invideremus ſimilem meridianam lineam, in qua perficienda uterque Caſſinius, aliique præſtantes Aſtronomi Regiæ ſcientiarum Academiæ ſocii elaborarunt. Hoc tamen munus ſe

de-

debere ſtudioſis Geographiæ Euſtachius Manfredius putavit, ut tabulam locorum, per quæ idem meridianus Italicus tranſit, haberent in eo libro, quem ex ſchedis mathematicis a Blanchinio relictis confeciſſe diximus. Illa quidem præclara & glorioſa. Sed nihil omnium judicio eſt ad laudem Blanchinii illuſtrius libro illo, in quo de Heſperi & Phoſphori phenomenis a ſe primum obſervatis, & ad calculum redactis copioſe diſſerit. Fuit profecto aſtrorum ſcientiæ ad magnas res, quæ antea latuerant, detegendas divinitus data fortuna, ut a Galileo teleſcopium inveniretur. Etenim hujus inſtrumenti ope vidit ille primus maculas in ſole, atque ex his maculis ſolaris globi converſionem circa proprium axem collegit: vidit etiam Jovis ſatellites quatuor, eorumque orbitas; & in Venere phaſes lunaribus per quam ſimiles notavit. Hugenius vero annulum circa Saturnum, & ex illius ſatellitibus unum deprehendit, quatuorque ſatellites alios poſtea conſpexit Joannes Dominicus Caſſinius. Gaſſendus Mercurii, Horoccius Veneris tranſitus ſub ſolem primi inſpexe-

xerunt, alii cometarum ſedem ſupra lunarem, immo ſupra Saturniam animadverterunt, alii ſtellarum numerum immenſum & prope infinitum, alii in Jove faſcias & vertiginem circa proprium axem, alii demum hanc ipſam converſionem, & maculas in Marte ſe vidiſſe retulerunt. In tot novarum rerum inventione una Venus abditiores aſtronomorum obſervationes recuſare videbatur, ut integrum reſervaret Blanchinio campum, in quo ejus virtus excurrere cognoſcique poſſet. Uſus hic teleſcopiis, quorum longitudo erat C. palmorum Romanorum toto anno MDCCXXVI. ſive Romæ eſſet, ſive in Albano ruſticaretur, Heſperum & Phoſphorum contemplatus eſt, idque acute adeo, diligenter, feliciterque præſtitit, ut maculas, de quibus ſuſpicionem commoverant Jo. Dominicus Caſſinius, & Philippus Hairius, in eo planeta videre, & metiri, totiuſque ſuperficiei deſcriptionem, quam *celidographiam* appellat, facere potuerit. Definivit etiam motum vertiginis ejuſdem planetæ circa proprium axem confici ſpatio dierum XXIV. cum trien-

triente, & hujus axem ita inclinari, ut angulum xv. graduum cum plano eclipticæ efficiat, fuifque polis equum minorem, & cor hydræ refpiciat, eundemque perpetuo in tota orbita fibi parallelum permanere. Ufus vero methodo, quam Jo. Dominicus Caffinius tradiderat in opufculo *de cometa* anno MDCLXXX. reperit ipfius planetæ parallaxim conftare xxiv. minutis, ut loquuntur, fecundis, & xxiii. tertiis, quam menfuram non una obfervatione confirmavit. Quanti facienda fit harum rerum inventio, ex eo cognofci poteft, quod Euftachius Manfredius fcribens ad Thomam Dheram in maximo fuo dolore ob mortem Blanchinii hoc unum fe habere folatium dixit, quod is extremam manum ponere potuerit fuo de Venere libro, in quo tot & tam præclara infunt inventa, ut nihil de præftantia concedant iis, quæ immortalem gloriam Galileo, Hugenio, & Caffinio compararunt. Neque contentus Francifcus fcripto docuiffe homines de iis rebus, quas obfervaverat, voluit etiam eas oculis fubjicere. Globum itaque chartaceum compo-

fuit , componendique rationem memorato in libro copiose tradidit, qui Venerem præclare imitatus & campos & maria ostenderet. His autem maribus maculas denotantibus nomina imposuit partim Lusitanorum Regum, ac Principum , partim Italorum , Hispanorumque Heroum , qui ad extremas mundi plagas primi omnium post memoriam hominum penetrarunt, partim doctissimorum Astronomorum , partim etiam Academiarum florentissimarum . Modum quoque docuit conficiendi machinam ope armillarum rite dispositarum , in qua si lucerna locum solis teneat , oculusque in globo terram exhibente collocetur , Veneris phases , maculæ , ejusque motus tum vertiginis , tum parallelismi clare atque distincte videri possunt . Mirum profecto quam esset solers & ingeniosus in excogitandis fingendisque machinis tum ad Astronomiæ , tum ad reliquarum naturalium facultatum usum . In commentariis Academiæ Parisiensis an. MDCCXIII.descriptio legitur machinæ cujusdam, qua quis sine tubo , & facillime [id profecto minime obtinebat Hugenianum inventum]

uti

uti poteſt teleſcopiis maximæ longitudinis, de qua re ad Academiam retulit Renatus Antonius Reamurus Blanchinii peramantiſſimus. Sæpe etiam accidit ut artifices de rebus ad mechanicam ſpectantibus ab eo conſilia exquiſierint, quæ ſi eſſent conſignata litteris, intelligeremus fortaſſe ipſum in ea arte partim nova attuliſſe, partim meliora feciſſe. Scripſit Opuſculum de movendæ, erigendæque Antoninæ Columnæ ratione, in eoque quibuſdam allatis ex Galileo & Borellio ad aliorum opiniones evertendas, eam viam præponendam eſſe putavit, quam Detrianus Architectus in Coloſſo Neronis ab uno in alium locum traducendo ſecutus eſt. Etenim præter cetera ſtatuit trabes ita columnæ aptandas eſſe, ut idem præſtarent quod axes in tormentis bellicis. Sic columna ſuſpenſa verſatili libramento, ſuſtentataque funibus ac fulcris facile horizonti parallela moveri, & ad perpendiculum erigi poterat. Ad hanc ſententiam convellendam ſtylum ſumpſit Dominicus Quartaronius: Sed is aculeis magis, quam rationibus pugnavit. Om-

nia enim asperrimus ille Siculus stomachabatur. Nec minus Blanchinii doctrina in temporum scientia suspicienda est. Ei rei sunt indicio quæ de nova condenda chronica periodo, cujus exordium capiebat a mundi origine, cujusque moderatores esse debebant Solis, Lunæ, ac Saturni motus, & quæ de anno mortis Christi disseruit. Quam in postrema dissertatione utens firmissimis chronologiæ subsidiis, monumentis nimirum antiquitatis & astrorum scientia, definivit ex Tertulliani, Victoris, aliorumque Patrum sententia Christum in crucem actum fuisse VII. Kal. Apriles. Consulibus duobus Geminis C. Fusio, & L. Rubellio; hos vero consulatum gessisse anno bissextili æræ vulgaris octavo & vicesimo; minime vero, ut communis erat opinio, anno nono supra vicesimum. Ad quem convincendum errorem mirabili reconditionis eruditionis copia, feliciſſimeque comprobat par unum consulum e fastis consularibus exemptum fuisse, hocque reponendum an. XXXXI. quo C. Caligula occisus, & Claudius Nero ad Imperii regimen

men evectus est . Chronologiam etiam illustrant quae Franciscus recitavit in *Academia antiquaria Albana* [hanc ipsum instituisse , eique leges verbis priscis dedisse suspicor] quaeque in lucem sunt edita de Romae origine , Romanaque historia ad primam usque plebis in Aventinum Montem secessionem . Multae res illustres ordine & suo tempore in iis sunt notatae , ex quibus Romanorum Regum propagines possumus agnoscere . Ac praesertim in hoc jure gloriari licuit Blanchinio , quod ignarus earum rerum , quas acute excogitaverat Jacobus Bernullius ad dissolvendam difficilem quaestionem , num posito quocunque anno cyclorum lunaris & solaris & indictionis inveniri posset annus periodi Julianae ipsi respondens , cum tanto viro consenserit , & cum eo inventionis gloriam partiverit . De singulari illius doctrina in re chronologica alia quoque recensebimus cum de opera collata ab ipso in Pontificiam historiam Anastasii Bibliothecarii erit dicendi locus . Porro Blanchinii industria in plura studia distracta erat , & hoc maxime in eo

admirabantur homines , quod exercitationem mentis a reconditis abſtruſiſque rebus mathematicis tam facile feliciterque ad mitiores litteras traduceret , ut idem doctiſſimus , atque eruditiſſimus & haberetur & eſſet. Perſuaſit Summo Pontifici Clementi XI., ut muſeum conderet in quo rariora exſtarent Chriſtianæ antiquitatis monumenta . Hujus rei perficiendæ cum mandatum accepiſſet Blanchinius multam ſupellectilem brevi colligere potuit . Interea Pontifex arma ſumpſit , ut tectus eſſe poſſet adverſus Cæſariani exercitus , ſi quæ forte timendæ erant, injurias . Infelix quidem expeditio , & eo infelicior quod pecuniam exhauſit, quæ in Chriſtianum muſeum , aliaſque præclara opera erat impendenda. Non ceſſavit profecto Franciſcus , quantum ejus opes patiebantur , corrogare quidquid antiquitatem ſaperet , ejuſque domum muſeum , bibliothecam , officinam liberaliorum artium dixiſſes . Scimus ex homine , qui propter familiaritatem domeſticis illius rebus intererat , paullo minus quadraginta ſcutorum millia ab eodem expenſa fuiſ-

ſe

se in studiorum suorum instrumentis comparandis; quorum intemperans in eo esse videbatur aviditas. His autem rebus, summaque opinione doctrinæ, atque humanitatis effecit, ut nemo mediocriter eruditus Romam adventaret, qui ad eum adire nollet. Laudes domesticas externis cumulavit Franciscus, cum a Pontifice Lutetiam Parisiorum anno MDCCXII. missus fuisset, ut Cardinalatus insignia Armando Rhoanio Subisio deferret. Totum iter & navigationem consumpsit partim in percunctando a peritis, partim in contemplando res cognitione dignas; quodque hærebant in memoria quæcunque audierat, aut viderat, longam earum narrationem scripto exponere potuit. Exceptus peramantissime a Cardinali, nec mediocribus honoribus ab ipso Galliarum Rege, & a Jacobo III. Stuardio, ejusque Matre Maria Atestina Parisiis per id temporis commorantibus, affectus fuit. Ab iis vero qui litteris præstabant, utroque Cassinio, Maraldio, Reamurio, Turneminio Harduinio, Petro Brunio, Natali ab Alexandro, Montfo-

conio, ceterisque illustribus Maurinis Monachis nihil non factum, ut omnia amicitiæ officia in Blanchinium constarent. Jamdiu enim ejus doctrinæ fama ipsum præcesserat, cujus rei nullum afferre majus testimonium possum quam quod an. MDCCV. inter Parisinæ Scientiarum Academiæ Socios cooptatus fuerat. Ex multis diebus, quos ille in vita celeberrimos lætissimosque viderit, eum diem clarissimum fuisse dicebat, cum in magno consessu litteratissimorum virorum assignatum sibi in Academia locum occupavit. Secundo mense, postquam Blanchinius Parisios venerat, moritur Joannes Dominicus Cassinius, & moritur repentino. Tam acerbe is doluit hominis amantissimi casum, ut suavitas illa sua, quam ex commoratione Parisiensi capiebat, penitus illi videretur erepta. Quod cum narraret amico, hæc, ut arbitror, notatu digna addidit. *Jure angor tali amico orbatus, qualis nunquam erit. Mihi ad urbem accedenti jussit obviam procedere filium, genitumque ex Sorore Jacobum Philippum Maraldium. Cum ejus domum venis-*

nissem, vultu, voce, collacrymatione & complexu quam desideratus venerim ostendit. Quotidie cum eo multa de Astronomia, aliisque rebus physicis communicabam; augebaturque amor continua consuetudine. Nosti hominis divinum ingenium, singularemque doctrinam. Iis vero erat moribus, ut hi nihil nisi religiosum, & ex sanctissima disciplina repræsentarent. Quamvis cæcus esset, solebat tamen singulis diebus horas canonicas recitare. Sic vero tulit quinquennalem orbitatem visus, ut amici gratulari magis illius virtuti, quam consolari dolorem debuerint. Parisiis profectus Blanchinius Lotharingiam, Alsatiam, Palatinatum, Holandiam, Belgium, ac postremo Britanniam lustravit. Obtinuit ubique Principum doctissimorumque hominum erga se humanitatem; natusque ad agendum semper aliquid dignum viro, investigabat, perscrutabatur, & notabat omnia, quæ eruditionem juvarent. Londini amicitiam conjunxit cum Isaaco Nevvtono, Argentorati cum Edmundo Martenio, Antuerpiæ cum Daniele Papebrochio, & dum Amstelodami esset non se-

ſemel adiit Joannem Clericum, ejuſque uxorem, quam cum patre (erat enim e Gregorio Læto genita) & marito ſtudia eruditionis exercuiſſe ſcribit. Ex his itineribus Romam Franciſcus rediit ineunte menſe Junio an. MDCCXIII. Rediit quoque ad illa ſua priſtina ſtudia aſtronomiæ & antiquitatis, in quibus plane conquieſcebat. Cum præſens adfuiſſet quando Pontifex Maximus viſere voluit S. Leonis Magni corpus, veſtitumque, quo tectum erat, occaſionem ſibi oblatam putavit ſcribendæ Diſſertationis, quæ Pontificatus inſignia in Leonino Sepulchro animadverſa referret, & ex his aliiſque monumentis oſtenderet Romanam Eccleſiam in ſua retinenda Liturgia ſtabilem conſtantemque fuiſſe. Hinc Sacerdotalium veſtium prima inſtitutio, & quænam ratio in illarum uſu ſatis eleganter explicatur. Parvum hoc opuſculum ſecutum eſt opus omnino magnum & arduum, quod eſt *de vitis Romanorum Pontificum Anaſtaſii Bibliothecarii*. Has vitas ut emendaret Franciſcus, & variantium lectionum copia locupletaret, non modo Ro-
ma-

manas adire debuit bibliothecas, ſed etiam Florentinas, & Parmenſem, qua in poſtrema omnium antiquiſſimus Anaſtaſii codex aſſervatur illuc Roma non multo antea apportatus. Hac autem in re ſi ſatis mirari non poſſumus hominis incredibilem diligentiam atque patientiam, non minus ſuſpicere debemus ipſius doctrinam in iis quæ contulit ad eaſdem illas vitas illuſtrandas. Profecto ſi *prolegomena & notas* Blanchinii, quibus is locum dedit in ſecundo & tertio volumine, theſaurum dicam ſacræ eruditionis, & chronologiæ, minus quam debeam prædicem. Quæ recondita & abſtruſa in medium non profert! quæ a novatoribus conficta non explodit! quæ dubia non aperit! quæ implexa non extricat! quos ſcopulos fugere non docet! Sic vero tractat temporum rationem, ut clariſſimum lumen non ſolum Pontificiæ, ſed etiam Conſulari, & Cæſareæ hiſtoriæ præferat. Quapropter illud maxime glorioſum eſt Veronæ, tres tuliſſe homines, Panvinium, Noriſium, & Blanchinium, adeo de hiſtoria meritos, ut inter illius parentes numerari poſſe videantur.

Sin-

Singularem Blanchinii modestiam minime illum ignorare fivisse quanti acuminis, quantæque eruditionis atque doctrinæ fuissent hæ chronologicæ scriptiones, ex eo conjici potest, quod eas maximum suorum laborum fructum, &, ut ipse dicebat, primigenias suorum operum prædicare non dubitavit. Idem elatus studio exornandi ample magnificeque hanc Romanorum Pontificum historiam exposuit in ea plurima Christianæ antiquitatis monumenta, quæ non videntur reperiri & colligi potuisse sine summa elaboratione, atque operæ consumptione. Primum volumen continens Anastasii vitas a Beato Petro ad Nicolaum usque primum, nec non vitas Hadriani II. & Stephani VI. a Guillelmo Bibliothecario descriptas cum suis variantibus lectionibus prodiit an. MDCCXVIII.; secundum quod complectitur easdem illas vitas a B. Petro ad S. Silvestrum, adjectaque iis prolegomena & commentaria Blanchinii non solum, sed etiam Schelestratii,, Altaserræ, Bencinii, Binii, Labbei, Ciaconii, Pagii, & Somierii non nisi quinquennio post lucem aspexit; tertium demum quod

Ana-

Anastasianam historiam illustrat ad Gregorium usque magnum, exeunte an. MDCCXXVIII. vulgatum fuit. Reliqua cum haud conficere potuisset Blanchinius vita privatus, curam absolvendi susceperunt Josephus Blanchinius illius fratris filius, & Cajetanus Cennius; viri profecto a litteris instructissimi. Inter ea accidit, ut in Appia via magnificis olim ædificiis Deorum templis, & illustrium familiarum sepulcris ornatissima intra I. & II. ab Urbe lapidem detegeretur aula, magna illa quidem & exquisita arte elaborata, cujus in parietibus dispositi pluribus ordinibus subter & supra erant loculi, sive *columbaria* ad ollas cinerarias adservandas: singuli autem loculi, exceptis iis qui erant ad angulos, qui propter loci angustias unicam, binas ollas fictiles occludebant, & quælibet olla sua distinguebatur inscriptione; in qua defuncti nomen, officium, & interdum etiam, sed raro, ætas erant expressa. Id ut audivit Blanchinius confestim illuc advolavit invitatatus non tam illo suo singulari, perpetuoque studio in vetera monumenta, quam officio.

Ete-

Etenim Clemens XI. jamdiu illum præfecerat Romanis antiquitatibus. Venit eodem cum Blanchinio Cardinalis Alexander Albanius; hique posquam omnia lustrassent, atque intellexissent sepulchretum illud pertinere ad libertos & servos Liviæ Augustæ: *utrum hortandus es a nobis, Francisce*, inquit Cardinalis, *an potius tua sponte propensus es*, *ut hæc monumenta explices? Censemus profecto te facillime & perbelle id præstare posse, tanta est cognitio antiquitatis, quæ te illustrat. Faciam sane ut potero*, respondit Franciscus, *præsertim si tibi gratum futurum est*. Operi itaque is manum admovit, in quo expositis primum partibus ædificii, quod ad musicæ leges secundum Vitruvii præcepta formatum ostendit, indicatisque quibusdam rebus, quæ in more positæ erant apud veteres, transit ad inscriptiones. Neque eas tantum refert, exquisitaque eruditione explicat, quæ in hoc sepulchreto inventæ sunt, sed etiam quæ alibi ad familiam, & ad officia domus Augusti pertinentes; adeo ut ex iis centum quinquaginta diversorum officiorum nomina possi-

mus

mus cognoſcere. Hanc varietatem non is profecto mirabitur qui ſciverit ſervorum libertorumque multitudinem in minimis quibuſque miniſteriis occupatam fuiſſe, quales exempli gratia juſcularii, prægustatores, diribitores, a cura catellæ, lanipendiæ, veſtiplices, margaritariæ, auriculæ ornatrices, a purpura, a veſte magna, a veſte matutina, ut innumera alia hujuſmodi officia ſilentio prætercam. Eo libentius in hoc opere elaboravit Blanchinius, quod non parum pertinere ad illud exiſtimavit, quod de Palatinis ædibus Cæſarum inſtituerat. Magna pridem & ardua res erat ex miſeris reliquiis illarum ædium velle totam ipſarum formam colligere, parteſque celeberrimas & maximas, ut templa, porticus, baſilicas, bibliothecas, theatra, balnea, ſtativa cohortis prætorianæ, & hortos deſcribere. Quare non is, meo judicio, erraverit, qui hanc deſcriptionem divinationem dixerit, quanquam nihil affirmaverit Blanchinius ſine aliqua probabili ratione & conjectura. Non pauca ille conjecit ex marmoreis *fragmentis veſtigii veteris Romæ* a Joanne Petro

Bel-

Bellorio illustratis, & ex picturis vetustissimi Virgiliani codicis, qui in Bibliotheca Vaticana asservatur, cum ex Servio sciamus Poetam in libro VII. Æneidum specie descripsisse Regiam Latini, re vera domum ab Augusto in Palatino extructam. Multa etiam conjecit ex Architecturæ regulis, & ex antiquis scriptoribus, ac præsertim Svetonio, plurima vero ex iis, quæ in toto Palatino extant ædificiorum vestigiis. Fortunate evenit ut an. MDCCXX. tres magnificæ detegerentur aulæ in ea collis parte qua Farnesiani horti continentur. Iis enim veluti norma usus est Blanchinius ad Palatinæ domus, qualis & quanta fuit Domitiani temporibus, qui eam laxe & magnifice auxit, ichnographiam delineandam. Dolendum sane quod ille minime absolvere potuerit opus in quod magnos sumptus propter multitudinem, magnitudinemque diagrammatum in ære inciforum, & infinitos propemodum labores insumpsit. Veniebat frequentissime ad Palatinum, ut suis omnia collustraret oculis; nec semel eum vidisses modo scalas ascendere, modo in profunda

da delabi, modo purgare rudera ſepta vepribus & dumetis. Cum aliquando totus eſſet occupatus in dimetiendo recens detecto conclavi, nec foramen in pavimento advertiſſet, præcipitavit in altiſſimum cavum. Læſa ei non parum fuit dextra coxendix ſive ex caſu, ſive ex niſu, quem principio fecit, ut ſe ſuſtentaret. Quanquam multa adhibuerit remedia, non ita tamen convaluit quin claudicaret, & frequentibus affligaretur doloribus. Conſilio Cardinalis Zondedarii Vignonis balnea, quæ ſunt in ditione Senenſi, adivit; vixque ſuppoſuerat debilitatum femur decidentis aquæ canali, cum ſenſit plurimum vigoris muſculis inde redditum, liberataſque magna ex parte fibras a glutine. Experiri etiam voluit quid poſſet terra quædam oleoſa & calida, quæ reperitur in flammifero ſolo non longe a *Petramala* quod eſt opidulum Etruriæ in Apenino poſitum. Femori admota terra illud non mediocriter laxavit, roboravitque. Hoc autem allevamentum ne conſtans diuturnumque eſſet, fecit ſumma difficultas; qua pedibus ire & reverti milibus paſ-

D ſuum

ſuum duobus, ineptaque via ille coactus eſt. Extat in Actis Accademiæ Pariſienſis, quæ ſunt re rebus an. MDCCVI. Blanchinii ſcriptum, quo collegas docuit de obſervatis a ſe in hoc flammifero ſolo. Vidit enim in ambitu centum fere triginta pedum quadratorum viginti flammas hic atque illic ſparſas ad dimidium pedem ſe ſe extollentes, planeque ligneum ignem imitantes: Et quidem ſi in has flammas immittebantur paleæ, ceteraque corpora, quæ ignem facile concipiunt, brevi conſumebantur. At illud in primis mirandum videbatur, quod ſi quis virga ſolum vel leviter feriret, vel in illud ipſum paleas, chartas, aliaſque ſimiles res projiceret, novæ ſtatim erumpebant flammæ, eæque tamdiu ardebant, donec omnis projecta materia ureretur; quin etiam earum una vel conſumpto pabulo ardere perſeveravit. Flammas circumſtabant lapides, & glebæ ſuavi quodam odore præditæ, quarum conflictu atque tritu ignis eliciebatur. Illud etiam miratus eſt Blanchinius, quod non longius a flammis quam intervallo duorum pedum cumuli eſſent nivis, & ſubter ni-

nivem glacies; ut, quod de Ætnæ ignibus a Claudiano dictum est, hi quoque *scirent nivibus servare fidem*. Harum rerum, caussas philosophis explicandas reliquit Franciscus. Tantum suspicari visus est ignes illos ali continuis vaporibus Adriatici maris, effluviisque subjectæ planitiei, quod perpaucis probatum iri puto. Tametsi non bene firmatum femur incommoda itineris augeret, ille tamen Parmam usque pervenire voluit, quia sciebat rem gratam se facturum Antonio illius civitatis Duci, si in Colurnano meridianam lineam describeret. Neque hoc solum præstitit, sed etiam illustria quædam Græca & Romana monumenta, quæ Farnesianum Museum ornabant, explicavit. In his fuit vas illud ex achate versicolori, singulari opera artificioque exculptum, de quo nonnulla etiam scripsit Scipio Maffejus in secundo volumine *Observationum Litterariarum*. Etenim minime inter eos convenit quid designarent tres nymphæ sedentes, sedentemque pariter circumstantes senem, qui dextra ballistam tenet, quid huic proximus juvenis cum cornu copiæ, ac

duo viri ſublime elati. Referebat hæc omnia Blanchinius ad ἀποθέωσιν Alexandri Magni, Maffejus vero ad Ptolemæum Auletem, ejuſque familiam. In hoc etiam ſe gratificari Antonio Duci Franciſcus arbitratus eſt, quod commentariolum ſcribendum ſuſcepiſſet de globo Farneſiano. Rude illud & imperfectum reliquit; quod cum in manus perveniſſet Franciſci Jaquierii, dignum judicavit, ut in eo abſolvendo operam poneret. Totum enim refertum erat Græca Latinaque eruditione, plurimaque continebat ad ſtellarum poſitionem, eclipticæ obliquitatem, & Aſtronomiæ progreſſus intelligendos utiliſſima. His laboribus minime defatigatus Franciſcus ſtudium etiam non mediocre contulit, poſtquam in Urbem reverſus eſt, ad ordinandum Liberianæ Baſilicæ tabularium, cujus præfecturam Benedictus XIII. ei detulerat. Sic ſe exercebat cum exeunte Januario an. MDCCXXIX. correptus eſt vehementiſſimis ventris doloribus. Inſanabilem morbum ſtatim judicarunt medici, quod aut inteſtinorum inflammationi, aut hydropi illum aſſignabant. Æger inter-

terdum relevari videbatur, deinde multo gravius vehementiusque affligabatur. In hoc statu dies quadraginta consumpsit constantiæ æquabilitatisque præclara exempla prodens. Postremo cum sanguinem evomuisset, naturæ debitum reddidit VI. Kal. Martias quinta fere noctis hora. Quam civitati carus fuerit dolore mortis indicatum est. Notæ enim erant cunctis ordinibus copia & varietas illius doctrinæ, ejusdemque egregiæ virtutes, quæ non solum sperare, sed etiam confidere nos jubent, ejus animam tanquam e custodia vinculisque corporis ad Deum evolasse. Profecto tota illius vita mortis contemplatio fuit; & illud acre suum in Astronomiam studium hoc præsertim pabulo nutriebatur, quod non fineret ejus mentem humi defixam esse, sed penitus traheret ad divina, & æterna appetenda. Cum aliquando reprehenderetur ab amico, quod honores neque cogitaret neque peteret, cum facile eos consequi posse videretur præsertim propter gratiam, quæ summa in illo erat: *quæ est ista*, inquit, *hominum dignitas, & splendor qui per-*

 ti-

tinet ad breve vitæ curriculum ? Nos quidem diuturniora spectamus . Dicebat etiam omnino stultos & miserrimos esse illos, qui in præmiis humanis spem ponunt laborum suorum, quosque ambitioni deditos futiles lætitiæ languidis liquefaciunt voluptatibus. Non igitur minus beatum illum existimare debemus, quod tot virtutum præsidio, tantæque doctrinæ comitatu primos vix attigerit Romanorum honorum gradus. Cujus moderationem utinam imitarentur ii, quibus in ingrata sæpe civitate res minus prospere succedunt. Etenim illa vera laus est mereri, non habere honores. Hæc quoque sint Blanchinii pietatis indicia. Nemo fuit illo promptior & diligentior cum danda esset opera rebus divinis. Dabat autem quotidie ad plures horas cum privatim, tum publice, sive in choro assideret, sive Subdiaconi munus in Sacello Pontificio expleret, sive templa religionem præcipue invitantia obiret. Neque in se solum vitæ sanctitatem excolere sategit Blanchinius, sed etiam in aliis excitare; possemque nonnullos nominare præclaro exemplo & sa-

ſapientiſſimis conſiliis ab eo ex errore ad rectum ſalutis iter traductos. E Britannia ſecum Romam adduxit optimæ ſpei adoleſcentem, ut ibi piis & liberalibus diſciplinis inſtitutus ſuis civibus aliquando futurus eſſet utilitati. Illud autem maxime declarat quanta ejus bonitatis eſſet opinio, quod Clemens XI. ad Summum Pontificatum evectus ab eo conſilia exquiſierit, quæ pertinerent ad recte ſanctequе ſuſtinendum impoſitum munus. Scripſit igitur paucis diebus opuſculum vere aureolum de Summi Pontificis officiis, in quo exempla illuſtriorum Pontificum, & imaginem antiquitatis diceres intueri. Equidem dum mihi ante oculos pono inſignem adverſus Deum pietatem Blanchinii, Galilei, Vivianii, Torricellii, Caſſinii, Magalotii, Euſtachii Manfredii, aliorumque multorum in Philoſophia facile principum, ſtomachari ſatis non poſſum quorundam temeritatem, qui pronuntiare non verentur, cum pio Dei cultu Philoſophiæ genus, quod nos hodie ſequimur, ægre ſocietatem habere poſſe. Profecto unde homines

Dei cognitionem facilius capere possunt quam ex contemplatione naturæ ? Quis vero cum cogitet Deum naturæ effectorem, atque rectorem, ab eoque nobis impertiri lucem qua fruimur, innumeraque alia, quibus utimur, commoda, non illum & grate & pie colat ? Sed relictis his Philosophiæ hostibus ad Blanchinium redeamus, in quo satis laudari non potest, quod in maxima opinione virtutum, ingenii, doctrinæque maximam servaverit modestiam. Cum esset Diaconus noluit ad Sacerdotium ascendere, quod se tanto gradu indignissimum judicaret. De suis scriptis nihil arrogans aut gloriosum prædicabat, quin immo eadem verbis extenuabat; exquirebatque curiose quid de iis quisque sentiret, atque etiam qua de caussa sentiret, ut si quid merito reprehensum esset corrigeret. Tristem & horridam sapientiam semper vitavit, semperque se se, quibus rebus honeste ac religiose potuit, ad communem morem accommodavit. Itaque irridebat illorum stultitiam, qui, ut ait Cicero, si quid Socrates, aut Aristippus contra con-

consuetudinem civilem fecerint, locutive sint, idem sibi arbitrantur licere. Gravitatem cum suavitate ita conjunxit, ut neutra quidquam detrahente de alterius vi, idem & gravissimus esset & suavissimus. Quis congressum illius, quis facilitatem sermonis, quis doctrinæ, consiliorumque lumen ab eo unquam desideravit? Idem si in matronarum cœtum advenisset, exponebat iis aliquid aut ex physica, aut ex historia; cavebatque ne dum utilis esse vellet, ineptus judicaretur. Mirum autem quam festive, veluti per jocum, saluberrima præcepta puerorum animis instillaret. Si cum æqualibus versaretur, quamvis sermone præpotens esset, efficiebat ut unus de multis esse videretur. Somni & cibi parcissimus videbatur ali oblectatione industriæ; neque in ulla re frustra laborem posuit, quod ei natura tribuerat versatile ingenium, ut natum ad id unum dixisses quod ageret. Vel ipsas musas in asperitatibus rerum mathematicarum faciles expertus est, cum pastoritio carmine celebrare suscepisset natalem diem Jacobi III. Stuardii. Reliquit

& ora-

& orationes quarum una est de Sanctissimæ Trinitatis mysterio, altera de Ascensione Domini, tertia de novo eligendo Pontifice ad Purpuratos Patres, quarta de laudibus Leopoldi I. Imperatoris, quam habuit, quando ei justa soluta sunt in Sacello Pontificio. Porro adeo navus & industrius erat Franciscus, ut ne otium quidem fuerit ei unquam otiosum. Quando itinera fecit per Italiam, vel ut assecla esset Cardinalis Barberinii, cum hic a Pontifice Legatus missus fuisset Neapolim ad Philippum V., vel ut Brixiam Cardinali Barbadico Purpureum capitis indumentum, quod præcipuum est Cardinalatus insigne, deferret, vel ut valetudini suæ consuleret, habuit semper secum, tanquam viaticum, telescopium XXIII. palmorum, quadrantem, horologium pendulo instructum, aliaque instrumenta mathematica, quibus uteretur toties quoties loci, temporisque opportunitas invitaret. Hinc plures ejus astronomicas, & geographicas observationes habemus Brixiæ, Bononiæ, Florentiæ, S. Quirici, Assisii, atque Urbini præsertim, finitimis.

misque in civitatibus peractas. Mansit enim aliquot mensibus Urbini apud Jacobum III. Stuardium, quo tempore explanationem quoque fecit earum rerum, quæ in principe domo extrinsecus insculptæ sunt. Locus nullus erat qui ad se allicere posset hominem antiquitatis, omniumque liberalium artium amantissimum, acerrimumque venatorem naturæ, quo non accederet contemplator Blanchinius. Cum vero penetraret tabularia, sua manu transcribendo excerpebat ex his ipsis siquid inesset, quod historiam maxime illustraret. Ex quo intelligi debet minimum temporis momentum illum perire non sivisse. Ita quæ aut languorem aut cessationem ceteris plerumque afferre solent peregrinatio, rusticatio, otium, & solitudo, eundem acuebant. Simplex & rectus fugiebat eos in quibus multiplex erat ingenium & tortuosum. Neminem unquam læsit; admonitorque lenissimus dabat peccatis aliquid excusationis, prope ut concedendum esse videretur. Si quos vero invenisset inter quos æmulatio esset laudis, enitebatur ne qua intercederet obtrectatio. Amicitias

sum-

ſumma cum fide, & quibuſcunque potuit officiis coluit; adeoque iis delectatus eſt, ut ſemper aliquos acquiſierit quos diligeret, & a quibus diligeretur. Cum tota Stuardia domo ſic erat conjunctus, ut in intimis illius eſſet; magnamque iniit gratiam a Vindelico Electore, Violante Medicea, aliiſque principibus viris, quos comitatus eſt in inviſendis iis rebus, quæ in Urbe ſunt admirandæ. Familiam ſuam ea caritate proſecutus eſt, ut cum de ſuis minimum, de illius commodis plurimum laboraret. Parentes juvenis amiſit, eoſque quoad vixerunt commemorabili pietate dilexit & coluit. Nec minus in patriam pius auctor fuit Scipioni Maffejo, ut de iis rebus, quæ ipſam illuſtrant, opus contexeret; ſcripſit ipſe Italico ſermone vitam Cardinalis Noriſii, deditque operam ut huic, atque Onufrio Panvinio monimenta numiſmatum, & hermatum fierent. In hoc quoque ejus liberalis voluntas gratificandi ſuis civibus cognita eſt, quod maximam librorum ſuorum partem, ſelectioraque monumenta Chriſtianæ antiquitatis ſummo ſtudio a ſe col-

le-

lecta, nec non scripta sua Capitulo Veronensi legavit, cum ejusdem Capituli Canonicum Josephum Blanchinium fratris sui filium heredem instituisset. Pro quibus aliisque meritis publico decreto ei monumentum illustre positum est in Cathedrali Ecclesia cum hac inscriptione.

FRANCISCO. BLANCHINIO. VERONENSI.
ET. OB. EGREGIA. IN. URBEM. MERITA. INTER. ROMANOS. PATRICIOS. CUM. SUA. GENTE. COOPTATO. UTRIUSQUE. SIGNAT. REFEREND. ET. PRAEL. DOMEST. OMNIGENAE. DOCTRINAE. SINGULARIS. INNOCENTIAE. AC. MODESTIAE. VIRO. QUI. EXIMIIS. EDITIS. LIBRIS. DE. RE. ANTIQUARIA. HISTORIA. CHRONOLOGIA. ET. MATHEMATICIS. DISCIPLINIS. MAGNAM. NOMINIS. FAMAM. APUD. ITALOS. EXTEROSQUE. ADEPTUS. DUM. NOVA. SELECTAE. ERUDITIONIS. MONUMENTA. PROPEDIEM. EVULGANDA. PARAT. DIEM. SUUM. OBIIT. ROMAE. VI. NON. MARTIAS. ANN. SAL.
CIϽIϽCCXXIX. AET. SUAE. LXVII.
PUBL. VERONENSES. DECRETO. M. P.

Mo-

Monumenta quoque eidem decreverunt Capitula Veronense, & Romanum Liberianæ Basilicæ, qua in Basilica sepeliri mandavit. Sed tempus est hujus vitæ finem facere, in qua exponenda si longiores nos fuisse accusabimur, dabit nobis justam defensionem Xenophon, qui virorum virtute præstantium non maxima modo, sed & minima, & vel ipsa joca digna esse ait, quæ memoriæ commendentur.

Opera Edita.

VITA di Geminiano Montanari. Edita est Patavii cum opere posthumo ejusdem Montanarii de Turbine.

ISCRIZIONI Sepolcrali nel Catafalco di Alessandro VIII.

ISTORIA UNIVERSALE provata con monumenti, e figurata con simboli degli antichi. Roma 1697. in 4.

GIUOCO DI Carte per apprendere la Storia universale. Roma 1695.

DE KALENDARIO, ET CYCLO CÆSARIS, ac de Paschali Canone S. Ippolyti Martyris dissertationes duæ ad SS. D. N. Clementem XI. Pont. Max., quibus inseritur descriptio, & explanatio basis in Campo Martio nuper detectæ sub Columna Antonino Pio olim dicata. His accessit enarratio per Epistolam ad Amicum de Nummo, & Gnomone Clementino Auctore

Fran-

Francisco Blanchinio Veronensi Basilicæ S. Laurentii in Damaso de Urbe Canonico S. D. N. ab honore Cubicul. , & a Secretis Sac. Congreg. Kalendarii . Romæ 1703. Typis Aloysii , & Francisci de Comitibus Impressorum Cameralium .

SOLUTIO problematis Paschalis ad absolutam emendationem tabularum Paschalium juxta Cyclum annis 1184. Gregorianis constantem . Romæ 1703. in fol.

CONSIDERAZIONI teoriche , e pratiche intorno al trasporto della Colonna di Antonino Pio collocata in Monte Citorio fatte da Monsignor Francesco Bianchini ec. in Roma 1704. nella Stamperia della Reverenda Camera Apostolica in 4.

JURA producta in causa Romana Fontis Baptismalis pro Ven. Basilica S. Laurentii in Damaso &c. Romæ 1706. in fol.

ORATIO de Sacratissima Trinitate . Romæ 1684.

—— in institutione Academiæ Alethophilorum . Veronæ 1687.

—— de methodo philosophandi in rebus physicis . Extat *nel Giornale di Parma del* 1687.

—— de Ascensione Domini . Romæ 1689.

—— in funere Leopoldi I. Cæsaris Augusti . Romæ 1705.

—— de eligendo Summo Pontifice post obitum Innocentii XIII. ad Sacrum Coll. S. R. E. Cardinalium . Romæ 1724. Edidit secundo hanc Orationem Blanchinius a se in italicum conversam.

EPISTOLA de Lapide Antiati ad Franciscum Aquavivam . Romæ 1698.

—— ad Historiam Legationis Pontificiæ Eminentissimi Cardinalis Barberini ad Serenissimum Regem Catholicum Philippum V. Neapoli anno 1702.

—— de nobilissimo hospite , Comitis de Trausnitz nomen professo , & in Villa Pinciana Burghesiorum

rum

rum Principum excepto die 27. *Maii* 1716. *Romæ* 1716.

—— *de aureis, & argenteis cimeliis effossis hoc anno* 1717. *Mense Januario in arce Perusina ad Alexandrum Albanum*, seu *Analecta eruditæ vetustatis*.

—— *de Eclipsi Solis die* 22. *Maii* 1724. *ad Otolinum Otolinium*. Probare contendit Auctor hanc eclipsem similem fuisse ei, quam refert Dio libro 56.

—— *ad Joannem Mabillonium de emendata ab eo Epistola Eusebii Romani ad Theophilum Gallum*. Extat in Tom. prim. *des Ouvrages posthumes de D. Jean Mabillon ec. a Paris* 1724. *in* 4.

VITA del Cardinal Noris. Edita est Romæ inter Vitas *degli Arcadi illustri parte prima*.

ANASTASII BIBLIOTHECARII De Vitis Romanorum Pontificum, cum Præfatione, Prolegomenis, variantibus lectionibus, & notis historicis Francisci Blanchini, & aliorum notis historicis &c. Tom. III. in fol Romæ e Typographia Vaticana apud Joannem Mariam Salvioni in Archigymnasio Sapientiæ. Prodiit primum volumen anno 1718. secundum anno 1723. tertium vero anno 1728. Ex hoc volumine excerptæ fuerunt, & separatim editæ

DISSERTATIONES DUÆ de Præsepe Christi Domini, & de Musivo Basilicæ Liberianæ &c. Non pauca reliquit Blanchinius, quæ pertinebant ad quartum Anastasii volumen. Edidit hoc volumen Iosephus Blanchinius anno 1735.

IL GIORNO NATALIZIO di Giacomo III. Re d'Inghilterra: Cantata Pastorale. Roma 1720.

SPIEGAZIONE delle sculture contenute in 72. *tavole di marmo, e bassi rilievi collocati nel basamento esteriore del Palazzo di Urbino, che rappresentano macchine, e molti altri istrumenti, e arnesi*

di

di guerra spettanti all'arte di guerra antica, e moderna da Monsignor Francesco Bianchini Veronese fatta già in idioma latino, ed ora dal medesimo trasferita in lingua italiana: Extat in libro, cui titulus: *Memorie concernenti la Città di Urbino. In Roma 1724. presso Giammaria Salvioni*. In eodem libro extant quoque

NOTIZIE, E PRUOVE della Corografia del Ducato di Urbino, e della longitudine, e latitudine geografica della Città medesima, e delle vicine, che servono a stabilire quelle di tutta la Italia di Monsignor Francesco Bianchini.

CAMERA, ED ISCRIZIONI SEPOLCRALI de' Liberti, Servi, ed Ufficiali della Casa di Augusto scoperte nella Via Appia, ed illustrate con le annotazioni di Monsignor Francesco Bianchini Veronese l'anno 1726. In Roma appresso Giovanni Maria Salvioni 1727. Eodem anno, sed serius, prodierunt Florentiæ illustrationes in easdem inscriptiones latine factæ ab Antonio Francisco Gorio.

HESPERI, ET PHOSPHORI nova Phœnomena, sive observationes circa Planetam Veneris, unde colligitur I. Descriptio illius macularum, seu Celidographia. II. Vertigo circa axem proprium, vel Perielesis spatio dierum 24. cum triente. IV. Parallelismus Axis in orbita octimestri circa solem. IV. & quantitas Parallaxeos methodo Cassiniana explorata nunc primum editæ sub auspiciis sacræ Regiæ Majestatis Joannis V. Lusitaniæ, &c. Regis a Francisco Blanchinio Veronensi Sanctissimi Domini nostri Papæ Prælato domestico. Romæ apud Joannem Mariam Salvioni 1728. in fol.

FRANCISCI BLANCHINI Veronensis Astronomicæ, ac Geographicæ Observationes selectæ, ex ejus autographis excerptæ una cum meridiani Romani tabula, cura & studio Eustachii Manfredi. Veronæ anno 1737. in fol.

 In

In hoc libro reperiuntur observationes habitæ a Blanchinio vel ab anno 1683. Retulit in illum ipsum librum Manfredius nonnullas astronomicas observationes, quibus locus antea datus fuerat in Actis Lipsiensibus, & Parisinis. Exhibent enim Lipsiensia acta anni 1685. pag. 189. & pag. 241. observata a Blanchinio de comete, qui apparuerat an. 1684.: eodemque in volumine extat etiam *nova methodus Cassiniana observandi Parallaxes & distantias Planetarum a terra, tentata Romæ a clarissimo Abbate Francisco Blanchinio*. Acta vero anni 1686. continent observationes Blanchinianas de lunæ eclipsi, quæ maxima facta est an. 1685. die x. Decemb. Multo plura habent Parisiensis Academiæ acta, quæ pertinent ad Blanchinium. Hæc sunt observationes eclipsium lunæ annorum 1695. 1697. 1703. 1707. & 1718. eclipsium Solis 1708. & 1715. Jovis, ejusque satellitum 1715. 1716. Veneris 1720. nec non observationes cometarum an. 1702. & 1723. His adde: *Reflexions sur des memoires tuchantes la correction Gregorianne*: vide volum. an. 1704. *Extrait des observations faites sur des feux qui se voient a Pietramala*: vid. volum. an. 1706. *Fragmentum planisphærii Ægyptii & Græci antiquo marmori insculptum & asservatum in cimeliarchio Pontificio Palatii Vaticani e ruderibus Romæ egestum an.* 1705.: extat in volumine an. 1708. *Description d'une machine portative propre a soutenir des verres de tres-grands foyes*: extat in volumine an. 1713. Demum, quod gloriosissimum fuit Blanchinio, legitur in iisdem Actis illius vita a Fontanellio elegantissime scripta. Observationes aliæ non solum astronomicæ, sed etiam physicæ a Blanchinio peractæ, enunciatæ fuerunt a Scriptoribus Ephemeridum Parmensium, & a Guilelmo VVhiston in suo libro, quem inscripsit: *Prælectiones Astronomicæ*, edito anno 1707.

DEL

DEL PALAZZO DE CESARI Opera postuma di Monsignor Francesco Bianchini Veronese . In Verona 1738. per Pierantonio Berno in fol.

OPUSCULA VARIA Francisci Blanchini nunc primum in lucem edita ex ejus manuscriptis libris autographis , qui ex testamento adservantur in Archivio amplissimi Capituli Sanctæ Veronensis Ecclesiæ. Romæ 1754. Ex Typographia Hæredum Jo: Laurentii Barbiellini . Tom. II. in 4. En index opusculorum. In volum. I. *De profunditate laci Albani : De distantia Castri Candulphi ab Urbe : De Albani aeris salubritate : Cur corpora eorum , qui suffocati in aquis perierunt , postquam pluribus diebus in aquæ imo stagnaverint , ultro super ejus superficiem ascendant : Experimenta peracta in decem generibus aquarum anno 1709. Epistola Cuperii ad Fontaninum de inscriptione quadam Palmirena : Epistola Blanchini ad Cuperum de eadem inscriptione : Epistola Cuperi ad Blanchinum de eadem inscriptione , de ruinis Persepoleos , & de statua Bacchi : Alia ejusdem Cuperi de commemorata inscriptione Palmirena , & de characteribus Persepoleos : Alia de nonnullis aureis nummis Vespasiani , Gordiani , Trajani , Decii , & Honorii , & de icuncula ærea Barbari Ducis , cujus e collo pendet Constantini Magni nummus : Epistola Ant. Mariæ Salvini ad Blanchinum de insigni quadam inscriptione Græca bis sepulti pueri : Judicium Blanchini de vase antiqui operis asservato Parmæ : Dissertatio de anno mortis Christi.*

In II. volumine : *Discorso accademico , in cui si mostra , che siccome la gloria , così la delizia di una mente Cristiana ha il suo principio e il suo compimento nella Croce del Salvatore : Lettera a Clemente XI. sopra alcuni nomi di sette Angeli esposti in un quadro d'altare della Chiesa di S. Maria della Pietà di Roma : Lettera a Monsignor Olivieri*

ſopra alcune Pitture ritrovate coi nomi de' SS. Martiri Felice , e Adautto , e di S. Emerita Vergine e Martire nel Cimiterio di eſſi Santi detto anche di Comodilla : Diſcorſo intorno alla Cronologia profana dopo il tempo delle Olimpiadi : Dialogo ſopra l'applicazione del Ciclo Ottagrammo alle Olimpiadi , e alla Cronologia del tempo iſtorico in anni Gregoriani , e Giugliani : Lettera di Pirro Gabrielli al Cuſtode generale d'Arcadia ſopra l'Efemeridi Arcadiche : Lettera di Selvaggio Affrodiſeo (cioè di Monſignor Bianchini) al medeſimo Cuſtode : Applicazione del Ciclo Ottagrammo alle Olimpiadi degli Arcadi : Deſcrizione della linea meridiana fatta nella Chieſa di S. Maria degli Angeli alle Terme di Diocleziano : Sopra la medeſima linea lettera ſcritta al Conte Giovambatiſta Bianchini : Diſcorſo accademico della Genealogia di Romolo , e dell'Epoca della fondazione di Roma : Altri ſimili diſcorſi della Genealogia , e Cronologia di Numa Pompilio , di Tullo Oſtilio , di Anco Marzio , e di Servio Tullio : Diſcorſo accademico della Cronologia della Romana Repubblica provata per li Conſolati : Altro della Cronologia de' Romani dal primo Conſolato di Bruto ſino al primo ammutinamento della plebe ſull'Aventino , e dell'uſo della medeſima Cronologia : Lettera circa l'anno eraſo da' Faſti : Altra ſopra alcune iſcrizioni de' baſſi tempi : Deſcrizione del Depoſito eretto da Clemente XI. a Criſtina Regina di Svezia nella Baſilica Vaticana : Dei doveri del Papato a Clemente XI.

DISCORSO ſopra la perpetua Efemeride Arcadica ad Alfeſibeo Cario ; legitur in libro , cui nomen : *Memorie iſtoriche delle Adunanze degli Arcadi . In Roma* 1761. *nella Stamperia de' Roſſi*.

DISSERTATIO de tribus generibus inſtrumentorum muſicæ veterum organicæ . Romæ 1742. *in* 4.

Præter ea , quæ hucuſque recenſuimus Blanchi.

nii scripta ab eo , aliisque in vulgus edita , sunt & alia, quæ minime lucem aspexerunt . Talia sunt *Itinera Italica , Gallicum , & Anglicum : Observationes variæ physicæ : Globus Farnesianus : Dissertatio de Vestibus Pontificalibus : Oratio ad Alexandrum VIII. dum Bibliothecam Ottobonam inviseret : Carmina nonnulla Italica : Dissertatio de Amphitheatro Albano , aliaque multa ad antiquitatem pertinentia : Hermes , seu Mercurius : Pantometer ad indagandas Eclipses , quæ fuerunt , quæque futuræ sunt : Acta Congregationis Kalendarii ; & familiares epistolæ* . Optandum sane esset , ut aliquis curam susciperet edendi epistolas , quas Blanchinio de rebus ad eruditionem pertinentibus dederunt Leibnitzius, uterque Cassinius , Maraldius , Eustachius Manfredius , Cælestinus Gallianius , Scipio Maffejus , Antonius Maliabechius , Philippus Bonarrotius , Montfeconius , Bongiurius , Mabillonius , aliique viri , quos ei similitudo studiorum , cujus summam vim ad conjungendas amicitias omnes norunt , fecerat conjunctissimos .

Neque silentio prætereundum est Blanchinium opus instituisse , quod persecutus est ejus fratris filius Joseph Blanchinius , quodque inscribitur : *Storia Ecclesiastica provata con monumenti originali di statue e bassi rilievi* .

PETRO ALOYSIO GALLETIO

ANGELUS FABRONIUS. S. D.

NÆ tu assiduus & acer es flagitator, qui me quasi voto quodam & promisso teneri jactitas ad vitam Joannis Antonii Blanchii præceptoris tui conscribendam. Si quam spem in te hujus rei conficiendæ excitavi, eam certe non patiar frustrari. Etenim omnia collegi quæ ad eandem vitam declarandam pertinent, non omnia tamen contexui, sed quæ potui, utque siverunt temporis angustiæ. Scitum est enim [nosti jam Ciceronianum illud] caussam conferre in tempus, cum efferre plura, si cupias, non queas. Dicam tamen audacter non fuisse mediocris eruditionis atque doctrinæ quæ scripsit Blanchius adversus Bossuetium & Jannonium, ut propterea putem ejus loquacitati ignoscendum. Mihi quidem cogitanti nonnullorum casus sententia tua vera & sapiens videri solet, qui ab omni contentione atque dimicatione abborrendum existimas, elaborandumque in iis studiis, in qui-

quibus sine periculo, & cum laude quis versari possit. Præclare igitur facis quod totus occupatus sis in colligendis illustrandisque monumentis temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum; & qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum vehehementer etiam atque etiam a te postulant, ut edas jam libros, quos absolvisti, de illustrium quarundam familiarum Romanarum historia, de Canonicis Lateranensibus, de Romano necrologio, & si quos alios hujus generis parasti. Non enim credibile videtur quam multa scripseris, & quam multa agites; quodque mirabilius est occupata etiam opera, impeditoque animo ea suscipis & præstas, que hominem otiosissimum desiderarent. Ego quidem & vita & industria longe tui dissimilis lente progredior in ĩstitutis operibus. Non despero tamen, si vita suppetet, posse plures vitarum illustrium Italorum decades proferre, quæ si ceteros minime delectabunt, me certe delectant, quod sic putem fructum aliquem percipere eorum studiorum, quæ a primis ætatis temporibus excolui. Vale.

JOANNES ANTONIUS BLANCHIUS.


Oanne Francisco & Catherina Felice Blanchiis civibus Lucensibus ortum habuit Lucæ Joannes Antonius Blanchius post. Kal. Octob. an. a reparata salute MDCLXXXVI. Sive felicitate quadam, sive bonitate ingenii, sive parentum disciplina rectam, ineunte ætate, studiorum viam secutus est. Cum septendecim esset annorum Franciscanæ familiæ, quam appellant *Minorum Observantium* nomen dare voluit, & Urbeveteri in cœnobio Sanctissimæ Trinitatis tyrocinium posuit. Hoc expleto, decursoque Romæ primum, mox Neapoli Philosophiæ, & Theologiæ curriculo, munus docendi suscepit. Triennium Philosophiam Romæ docuit in cœnobio Sancti Bartholomæi, ibidemque in rerum divinarum scientia instituit religiosos illos viros, qui sacris ad barbaras gentes missionibus destinantur, postquam eandem facultatem Bononiæ professus omnibus ostendisset qualis quantusque

fu-

futurus esset theologus. Eodem tempore provinciam regendi cœnobii plenam sollicitudinis sustinuit; adeoque vigilavit in studiis, ut recentiori Philosophiæ, sacræ prophanæque Historiæ multam operam dederit, Jus civile percurrerit, attigerit Medicinam, & Chirurgiam, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxerit. Ex quo factum est ut quamvis imparatus aliquandò venerit ad sacras habendas conciones in Liberiana Basilica [repente enim obierat qui hoc munus erat ingressurus] in bonis tamen oratoribus Etrusce, & diligenter loquentibus numeratus fuerit. Extant & ejus Latinæ orationes, ex quibus de illius ingenio oratorio, & luculenter ipsum Latine scivisse existimari potest. Sic cum neque obscura, neque mediocria essent, quæ Blanchius dederat, doctrinæ suæ argumenta a Cardinalibus Falconerio, Spinula, & Cozza electus est, qui Theologi munus apud ipsos sustineret. Iis autem cumulate semper officium suum reddidit; & quanquam non defuerit quædam pestes hominum laude aliena dolentium, qui eosdem Cardinales ab illo alienare

nare tentaverint, cuncta tamen civitas nullo non tempore hos cognovit Blanchii amantissimos. Neque minus premebatur oneribus domesticarum rerum. Nam Mathæus a Pareta, qui Ordinis supremum magistratum tenebat, eum habuit ad manum scribæ loco. Gubernavit etiam Romanam Provinciam, & Bononiensem ex mandato Crescentii Crisper Commissarii, ut vocant, Generalis aliquando visitavit. Qua occasione ortas inter suos & Prosperum Lambertinium Bononiæ Archiepiscopum, Thomamque Ruffum Ferrariensis provinciæ præfectum controversias summa prudentia ac felicitate composuit. Hic cum propter confecta munera, doctrinæ famam, & multas ejus virtutes Romæ magna cum dignitate viveret, nulla res major a suis sine eo gerebatur, & sæpe etiam a Cardinalibus, amplissimisque aliis viris de rebus ad Theologiam, & Jus Pontificium spectantibus consulebatur. Mirum vero quam promptus esset in rebus excogitandis, reperiendisque quæ opus erant, & quam facile easdem oratione explicaret. Id intuens Summus Pontifex Clemens XII.

ei

ei mandavit, ut propugnator esset jurium Sedis Apostolicæ adversus Sardiniæ Regem. Etenim hic contendebat Nicolai V. concessu datam esse potestatem Sabaudiæ Ducibus eligendi, quem vellent, ad omnia majora sacerdotia, quæ in eorum regno & ditione essent; factasque pactiones inter se & Benedictum XIII. de moderanda ecclesiastica immunitate, aliisque juribus Ecclesiæ, Romanorumque Pontificum vel temperandis vel delendis haud esse infirmandas. Principio Blanchius narrationem exposuit omnium rerum, præteritarum, & præsentium, in quibus omnis ratio controversiæ continebatur; deinde firmissima fundamenta jecit defensionis suæ, qua in defensione alii etiam docti viri jussu Pontificis insudarunt. Idem Pontifex præcepit quoque Blanchio, ut scripto ostenderet jure Gravinæ Episcopum devovisse ejusdem civitatis Ducem, quod hic clericis denegabat immunitatem vectigalium in iis prædiorum fructibus, quos venum tradebant. Ipsis autem armis, quibus tunc Blanchius prolusit, non dubitavit ad pugnam Jacobum

Be-

Benignum Boſſuetium, & Petrum Jannonium evocare. Exorſus eſt a convellenda opinione, quæ adimit Romanis Pontificibus poteſtatem alia jura præter religioſa & ſacra in alieno imperio exercendi. Vereor ne aſſentatiuncula quadam aucupari eorum gratiam voluerit, quorum defenſionem arripuit. Atque utinam ſarta & tecta eſſent ea jura, quæ non opinione quadam nonnullorum hominum, ſed veritate & religione continentur, in quibus propugnandis elaborare, ut certe elaboravit Blanchius ſumma non ſolum doctrinæ & eruditionis, ſed etiam verborum copia, glorioſum eſt. Opus hoc ſex voluminum, quod inſcribitur, *Della poteſtà, e della polizia della Chieſa*, ſecutum eſt illud, *De' vizj e de' difetti del moderno teatro, e del modo di correggerli ed emendarli*. Clamabat per id tempus & voce & ſcriptis Daniel Concina e Dominicana familia mores hominum dulcedine corruptelaque theatri adeo depravari, adeoque indecora, inhoneſtaque multa ſcenam neceſſario comitari, ut quis ei intereſſe ſine peccato minime poſſet. Tantam

tam ſeveritatem molire volens Blanchius oſtendendum ſuſcepit fieri poſſe dramma, quod minime bonis, & chriſtiano homine dignis moribus officeret. Tales certe non eſſe idem fatetur hodiernas illas fabulas, in quibus ſunt amationes, præſertim ſi eodem accedat muſices, & ſaltationis lenocinium, multoque minus tales fuiſſe fabulas veterum Græcorum, Latinorumque, eorumque Italorum, qui ſuas ad illorum exemplaria condiderunt. Sive enim argumenta, mores, & ſententias ſpectes, ἀσελγείας & vitiorum officinas illas recte vocaveris. Neque ſolum Theologi partes agere voluit Blanchius, ſed etiam eruditi, antiquitatiſque inveſtigatoris. Plurima enim in toto ſparſit libro, quæ veterum ſcenam, muſicam, ritus, & mores illuſtrant. Suſcepta a Blanchio propugnatio honeſti theatri cum ſui defenſione conjuncta erat. Populo enim ſpectandas exhibuerat, edideratque in vulgus tredecim tragœdias, quarum octo ſoluta, reliquæ numeris adſtricta oratione ſunt compoſitæ. Ab hujuſmodi tragœdiis, a quibus amores, & muliebres illecebræ exulant, nul-

nullum timendum videtur esse periculum, ne hominum animi mollescant, elidanturque virtutis nervi. Sed hæ nunc jacent in Bibliopolarum tabernis, quamvis non injucundæ fuerint propter multas earum virtutes, cum primum in scenam prodierunt. Scivit profecto Blanchius reddere unicuique personæ convenientia, ceteraque bene novit scenæ præcepta, ut ex ejus commentariolo *de Tragœdia* judicari potest. Sed cum fabulas texuit sæpe in eadem vestigia incurrit, nec semper vitavit, ut cum Horatio loquar, versus inopes rerum, nugasque canoras. Postquam memoratum Blanchii opus de vitiis theatrorum, deque ratione eorundem emendandorum in lucem exiit, Concina acerbius insurrexit in theatra, eorumque, cujuscumque generis essent, defensorem. Par pari referre animo statuerat Blanchius; sed tempus, morsque Concinæ mitigavit illius iracundiam. Itaque paruit illorum consilio, qui minime vulganda putarunt, quæ adversus Concinam scripserat, quanquam existimari volebat id se non odio hominis, sed veritatis, suæque defensionis fecisse causa.

ſa. Fuerunt & aliæ controverſiæ, quæ Blanchii ſtylum exacuerunt. Pugnavit cum Philalete Adiaphoro, volens perſuadere hominibus *Minores Obſervantes* antecedere ætate *Minores Conventuales*. Ordinis enim ſui gloria, quæcunque ea eſset, illi ſemper antiquiſſima cura fuit. Sed præſertim provocatus a Jo. Jacobo Scarſantonio defendit iratus ſcriptum quoddam ſuum, quo denegabat Piſcienſi Epiſcopo jus detrahendi quartam partem ex hereditate, quæ monaſterio cuidam mulierum illius diœceſis obvenerat. Omitto commemorare alias cauſſas, quas homo diſciplina Juris, ac præſertim pontificii eruditiſſimus, & ingenio acutiſſimus defendit. Etenim cuilibet petenti lucem & præſidium ingenii & conſilii ſui libentiſſime porrigebat. Admirabantur vero omnes ad eum de divinis non ſolum, ſed etiam de humanis rebus referri, quaſi nihil eſſet quod ſciri diſcive potuerit, quod ille non inveſtigaverit & ſciverit. Qua ex re & fama crevit, & multorum illuſtrium hominum, ac etiam Principum amicitiam & gratiam ſibi peperit. Cupiens Sardiniæ Rex

tan-

tantum virum sibi adjungere amplissima illi præmia proposuit, si Augustam Taurinorum concessisset. Sed ille contentus honore ire recusavit, quod fortasse eadem aleretur spe, qua multi Romæ tenentur & aliciuntur. Factus quidem fuit a Benedicto XIV. Sacræ Inquisitionis Consultor, quod munus illi aditum ad Cardinalatum dare poterat. Noverat idem Pontifex hominis prope singularem doctrinam, eaque multis in rebus usus fuerat. Sed ut sunt fallaces hominum spes, eæ ante obrutæ fuerunt, quam portum conspicere potuerint. Nam cum is redux esset ex Hispania, quo comitiorum Ordinis sui caussa [erat enim Custos Romanæ Provinciæ] concesserat, morbo implicitus paucos post menses diem obiit supremum. Sepultus est in Æde S. Bartholomæi cum hac inscriptione.

D. O. M.

D. O. M.

P. JOANNI . ANTONIO . BIANCHI . LUCENSI .

ORDIN. MINOR. OBSERV. S. FRANCISCI .

CLERI . ROMANI . EXAMINATORI .

ET S. UNIVERSALIS . INQUISITIONIS .

CONSULTORI .

VIRO . IN . OMNI . GENERE . DOCTRINARUM .

PRAESTANTISSIMO .

DEQUE . RE . LITTERARIA . ET ECCLESIASTICA .

MULTIS . EGREGIAE . ERUDITIONIS .

VOLUMINIBUS . EDITIS .

OPTIME . MERITO .

PROVINCIA . ROMANA . CUI . OLIM . PRAEFUIT .

PARENTI . AMANTISSIMO . ET . CLARISSIMO . LUMINI .

MOERENS . POSUIT .

OBIIT . XVI. KAL. FEBRUARII . MDCCLVIII.

AETATIS . ANNO . LXXII.

Scripta sua, quorum multa reliquit inedita, amico commendavit. Doluit vero minime perficere potuisse opus *de Primatu, & potestate Romani Pontificis*, quod extrema ætate scribendum susceperat. Etenim ejus senectus non languida & iners fuit, sed operosa, semperque agens aliquid & moliens, cujus studium in superiori vita fuisset. Est quidem jucundissima senectus, ut ait Cicero, stipata studiis juventutis, præsertim si corporis vires accedant; in quibus fautricem adeo naturam expertus est Blanchius, ut adolescentiam minime requireret. Ac ne hoc quidem ille indulgebat senectuti, ut cessaret ab iis instituendis, qui cubiculum suum frequentabant. Si quos adolescentulos illustri ingenio & industria invenisset, hos in pluribus variisque facultatibus exercebat, solitus dicere, parum prodesse reipublicæ homines unius cujusdam operis. Gymnasium & Academiam ejus cubiculum dixisses, quod maxima quotidie frequentia non solum studiosorum, sed etiam summorum hominum splendore celebrabatur. Sermones plerunque versabantur in litte-

litteris ; tamque felix erat Blanchius in reminiſcendis quæ viderat & legerat , iiſdemque dilucide eleganterque explicandis , ut meditata proferre crediliſſes . Conſultum quoque veniebant ad eum pictores , ſculptores & architecti , quod rerum ad illorum artes pertinentium doctus & intelligens eſſet existimator . Nec ſolum ingenii ſui copiam flagitantibus faciebat , ſed etiam vindemiolarum ſuarum , cum eſſet natura liberaliſſimus . De rebus publicis , deque Principibus libere loquebatur . Videbatur etiam mordere libenter inimicos ſuos . Ab obtrectatione , tamen invidiæ , quæ ſolet lacerare pleroſque , ſemper alienus fuit . Multa erat in homine comitas , jucunditas & jocandi lepor , præſertim ſi cum matronis verſaretur . Illas autem maxime adibat , quarum cognita eſſet virtus vel in agendis fabulis , vel in memoriter recitandis carminibus . Muſas enim impenſiſſime amabat ; perſuadebatque diſcipulis ſuis , ne unquam ita ſe addicerent cuiquam facultatum ſeverioris , ut ita dicam , ſupercilii , quin identidem ſibi ex muſarum cantibus , ſi nihil

 aliud ,

aliud, graviorum ſaltem cogitationum allevationem peterent. Plures qui cum eo familiaritate & contubernio conjuncti fuerunt, mihi omni aſſeveratione affirmarunt, eundem fuiſſe vita integerrima, & pietate in Deum ſumma. In morum diſciplina gloriabatur medium quiddam tenere inter nimiam indulgentiam, nimiamque ſeveritatem; habebatque ſæpe in ore, totam vim bene feliciterque vivendi in omnium rerum humanarum, contemptione & deſpicientia ponendam. Animi bona decoravit corporis figura venuſta. Talis fuit vir, in quo ſi ſpectes uberrimam & variam doctrinæ copiam, ingeniique acumen, non tamen delectum, & judicium, hunc non dubites cum ſummis viris, qui noſtra, patrum, majorumque memoria floruerunt, comparare.

OPERA EDITA.

LETTERE di un cordiale amico a Filalete Adiaforo di quall'Ordine de' Minori sia il B. Andrea Caccioli da Spello , Tom. II. In Torino 1727. Opus editum est Romæ, non vero Augustæ Taurinorum, editumque secundo Lucæ.

ORATIO de Sanctis Jacobo Piceno & Francisco Solano Ordin. Minor. de Observantia habita Romæ in Templo S. Mariæ in Capitolio VII. Kal. Octob. ad S. R. E. Cardinales a F. Joanne Antonio Bianchi Lucensi. Romæ ex typographia Rocchi Bernabo 1727.

——— *De S. Margarita Cortonensi Ord. S. Francisci ad Sanctissimum D. N. Benedictum XIII. Romæ ex typographia Rocchi Bernabo* 1728.

——— *Pro aperitione Comitiorum universi Ordinis FF. Minorum habita Mediolani in Æde S. Angeli IV. Kal. Junii* 1729. *ab Jo. Ant. Bianchi Lucensi ejusdem Ordinis Fratre ac Romanæ Provinciæ Ministro. Mediolani* 1729. *Sumptibus hæredum Dominici Bellagattæ.*

RAGIONI della Sede Apostolica nelle presenti controversie colla Corte di Torino. Tom. I. Parte I. Informazion istorica divisa in 4. parti. 1732. Eodem anno edita fuit Pars II. memorati primi voluminis, nec non Partes I. & II. secundi voluminis.

LETTERE di risposta di un particolare di Roma ad un amico di Napoli sopra le pendenze di Gravina.

DELLA POTESTA' E POLIZIA DELLA CHIESA Trattati due contro le nuove opinioni di Pietro Giannone dedicati al Principe degli Apostoli da Gian'Antonio Bianchi di Lucca Frate Osservante dell'Ordine de' Minori Tom. I. II. III in Roma 1745. *nella Stamperia di Pallade appresso Niccolò e Marco Pagliarini*, Tom. IV. prodiit an. 1746. Tom. V. duabus

constans partibus sive voluminibus prodiit an. 1750. Tom. vero VI. cum indicibus universi operis lucem aspexit an. 1751. in 4.

DEI VIZJ e DEI DIFETTI del moderno Teatro e del modo di correggerli ed emendarli Ragionamenti sei di Lauriso Tragiense Pastore Arcade in Roma 1753. nella Stamperia di Pallade in 4. magno.

TRAGEDIE di Lauriso Tragiense con due ragionamenti del medesimo sopra la composizione delle Tragedie Tom. IV. in 8. Roma per Generoso Salomoni 1761. Lælius a Vulpe Typographus Bononiensis multo antea vulgaverat plerasque harum tragœdiarum, quarum multæ separatim etiam in vulgus exierant.

SCRITTURA LEGALE per il Serenissimo Duca di Modena indirizzata alla S. Congregazione dell'acque con alcune risposte fatte alle considerazioni di un Professor Mattematico, e ad un'altra Scrittura pretesa del fu Signor Dot. Eustachio Manfredi. Romæ typis Mainardi 1739.

AGRIGENTINA validatis Matrimonii seu dispensationis pro Joanne Sulli & Catharina Collidà. Memoriale facti cum Summario. F. Joa. Antonii Bianchi Lucensis Ordin. Minor. Romæ 1741. Typis Francisci de Comitibus.

DISSERTATIO I. de quarta Canonica Episcopali ex piis relictis detrahenda. Lucæ 1747. ex typographia Philippi Mariæ Benedini.

DISSERTATIO II. Anonymi super quarta canonica Episcopali ab oppositionibus &c. vindicata. Lucæ 1748. typis Angeli Capurri.

NOTIZIE dell'origine e dell'antichità del Ven. Monastero di S. Ambrogio detto della Massima, e della Sacra Immagine di Maria Vergine, che nella Chiesa di detto Monastero conservasi. In Roma 1755. nella Stamperia di Pallade presso Niccolò e Marco Pagliarini, in 4.

OPE.

OPERA INEDITA.

TRACTATUS de Romano Pontifice, & ejus potestate.

DISSERTAZIONE del Primato del Romano Pontefice sopra la Chiesa universale spetto e dichiarato nel Concilio Fiorentino.

—— Del Primato del Romano Pontefice sopra la Chiesa universale conosciuto dal Concilio di Costanza.

—— Delle colonie de' Romani.

—— Delle mura, recinto, e pomerio di Roma, e della sua fondazione.

—— Della legge agraria de' Romani.

—— Del Tempio di Esculapio nell'Isola Tiberina.

—— Sopra la legge d'amortizazione.

—— Della scelta de' buoni Scrittori per la lingua Latina.

—— Sopra i dubbj di abolir le feste di precetto, e di trasferirle in Domenica.

—— Sopra le prerogative di S. Gio. Laterano.

—— De S. Siricio Papa in Martirologio Romano adscribendo.

EPISTOLA ad clarissimum, doctissimum, & amicissimum virum Jo. Rogerium Neapolitanum Canonicum Pœnitentiarium Surrentinæ Metropoleos, in qua agitur de discursu Illustrissimi & Reverendissimi Domini Francisci de Vico Episcopi Eleusini Canonici Lateranensis de nova Lateranensis Ecclesiæ consecratione.

ELEMENTA Juris Civilis.

LIBRI IV. Institutionum Canonicarum.

DIECI LETTERE APOLOGETICHE in difesa de' Ragionamenti sopra i vizj e difetti de' Teatri Moderni contro le censure dell'Autore de' libri: de' Teatri moderni contrarj alla profession Cristiana.

VITA del Ven. Sebastiano Apparisio Indiano Frate Minore Osservante.

Sunt & alia scripta minora, quæ commemoranda minime putamus.

JOANNI ALOYSIO BONGIOCHIO.

ANGELUS FABRONIUS. S. D.

Tautumne ab re tua, ut cum Terentiano illo loquar, est otii tibi, ut scripta mea legas? Mihi quidem gratum, & erit gratius si me admonitum voles, in quibus peccavi. Ex variis enim & diversis studiis & artibus ea collegisti, quibus & ceteris consulere, & tibi non facile interituram gloriam comparare queas. Cogitanti mihi fere quotidie de rationibus tuis placet quod te removeris a schola, secutus liberius & tranquillius vitæ genus. Nam sic studiosius urgere ea poteris, quæ instituisti, & quæ destinasti antiquitatis amatoribus. Est profecto dulcissimum mentis pabulum occulta & quasi involuta oblivionis tenebris aperire, atque in eo studio operam collocare, quo rerum antiquarum historia fieri possit & illustrior & copiosior. Ex quo factum est, ut qui semel hæc studia exercuerint, nunquam dimiserint. Satiari non poterat Corsinius noster hujusmodi exer-

exercitationibus , & in iis suæ senectutis , suarumque ægritudinum requiem & oblectamentum unice reperire videbatur . Quare non dubito quin ejus exemplum , ejusque voces , ut multos , sic te quoque ad hujusmodi iter tentandum excitaverint . Vere tamen hoc mihi videor esse dicturus , ex plurimis , qui in antiquitate illustranda versantur , perpaucos excellere . Majus enim est hoc quiddam quam homines opinantur , & pluribus ex artibus studiisque , quod idem de eloquentia dixit Cicero , collectum . Siquidem tenenda est omnis historia , legum scientia comprehendenda , veterum theologia & philosophia penitus pernoscenda . Accedant eodem oportet non mediocris intelligentia artium pingendi , scalpendi & architectandi , diurna nocturnaque evolutio Scriptorum Græcorum Latinorumque , nec non perfecta cognitio geographiæ , atque chronologiæ . Quid vero dicam de thesauro rerum omnium memoria , & de divinandi , & vera a falsis dijudicandi arte , quæ nisi summæ sint in antiquitatis investigatore , næ ille , quod expetit , consequi posse diffidat necesse est .

Atque

Atque hæc non eo dico, ut te, a quo edocendus sum, edoceam. Tantum volui prædicare tui, tuique similium industriam, cujus rei opportunam occasionem dedit, quam ad te mitto, hominis utriusque nostrum amicissimi vita, quæ tota referta est narratione earum rerum, quæ pertinent ad antiquitatem, in qua illustranda adeo ille excelluit, ut neminem superiorem, perpaucos pares habuerit. Vale.

Pisis Kal. Maii MDCCLXX.

EDUARDUS CORSINIUS.



Anani, quod est oppidum Provinciæ Frinianæ in ditione Ducum Atestinorum, III. Non. Octobris an. MDCCII. procreatus est Eduardus Corsinius optimis quidem parentibus, honestissimaque familia, quippe quæ jamdiu civitate Mutinensi donata erat. Is ubi primum adolevit sodalitatem hominum Scholarum Piarum, quos præceptores puer in patria habuerat, ingressus est. Multa diligentia, multoque labore in humaniorum litterarum, Phi-

Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudiis Florentiæ ſe exercuit apud ſuos ; & cum omnes condiſcipulos gloria anteiret, ab omnibus tamen in deliciis habebatur . Erat enim bonitate, ſuavitateque morum prope ſingulari ; & cum plurimum faceret non ſolum in excolendis ſtudiis, ſed etiam in officiis omnibus religioſi hominis obeundis , minimum tamen ipſe de ſe loquebatur . Vix ferre poterat Eduardus Peripateticos quoſdam horridos, duroſque oratione & moribus , quibuſcum verſari cogebatur ; intellexeratque jam falſos hujuſmodi ſapientiæ magiſtros de veritate jugulanda potius , quam defendenda aſſidue certantes, Piloſophiam artem feciſſe ſubtiliter & laborioſe inſaniendi . Relictis igitur diſputandi ſpinis , ad Academiam ſe convertit , cujus ratio inquirendi verum libero ſolutoque judicio , & ſine ulla contentione & pertinacia non poterat non magnopere probari homini natura leniſſimo . Nec ſolum in Philoſophorum libris eorum dogmata , quæ diſputationibus huc & illuc trahuntur , ut ipſe per ſe perpenderet, inveſtigavit Eduardus, ſed etiam Phi-

Philoſophiæ adminicula & anſas, qualem Xenocrates Geometriam appellabat, in Euclide, Apollonio & Archimede quæſivit. Quo in itinere felicem adeo habuit exitum, ut fervore quodam ætatis impulſus, brevi condere potuerit libellum de circulo quadrando, quem ad Guidum Grandium miſit. Novit in eo Grandius eximium & admirabile adoleſcentis ingenium, eundemque hortatus eſt, ut pergeret porro in eo ſtudio, quod ceteris & ſtudiis & artibus antecederet, & in quo ipſe futurus eſſet excellens. At Eduardus præſertim trahebatur ad humaniores litteras, quibus a puero mirifice deditus fuerat, quaſque vel in ſublimiorum diſciplinarum occupationibus, ne obſoleſcerent, legendo renovaverat. Itaque moleſte tulit demandatam ſibi fuiſſe an. MDCCXXIII. provinciam tradendi publice Philoſophiam in Florentino Ordinis ſui gymnaſio, quaſi ad ea detruderetur, quæ ſui non eſſent ingenii. Principio ſequi coactus eſt Goudinium, cui brevi ſubſtituit Hamelium. Atque hos auctores ſic interpretatus eſt, ut facile intelligeretur non eſſe

esse ex illorum doctorum numero, apud quos tantum opinio præjudicata potest, ut etiam sine ratione valeat auctoritas eorum, quos sequi se profitentur. Postremo ad Scholæ suæ utilitatem & ornamentum maxime pertinere existimavit, si e multis, quæ sunt in Philosophia & gravia & utilia a recentioribus præsertim philosophis tractata, quantum, quoque modo videretur deligeret, in quo adolescentes exerceret. Sapienter etiam faciebat quod ipsos non solum quibus luminibus ab illa omnium laudandarum artium procreatrice Philosophia petitis mentem illustrare, sed etiam quibus virtutibus omnem vitam tueri deberent sedulo erudiebat. Quare minime est mirandum si in tantam claritudinem brevi pervenerit, ut suis & Florentinis vehementer carus, quibusdam vero hominibus nudari subsellia sua, & cornicum oculos configi dolentibus esset invidiosissimus. Fuerunt & nonnulli [tantum invidia, aut inscitia potuit] qui apud eos, quorum munus est providere, ne quid erroris in religionem moresque irrepat, Corsinium accusarunt, mul-

multa illum tradere , in exponendis præſertim Gaſſendi & Carteſii ſententiis , a recta religione abhorrentia . Stomachatus eſt homo religioſiſſimus , caſtiſſimuſque obtrectatorum temeritatem . Hos vero ut falſæ & iniquæ inſimulationis publice convinceret , utque ab omni metu diſcipulos ſuos liberaret , ſtatuit in lucem proferre , quæ in ſchola & domi iiſdem expoſuerat . Quod cum præſtitiſſet , id evenit , ut alteros reprehendiſſe pœniteret , alteri didiciſſe gauderent . Inſcripſit opus : *Inſtitutiones philoſophicæ ad uſum Scholarum Piarum* , & illud in quinque volumina diſtribuit . Primum continet hiſtoriam Philoſophiæ & Logicam ; ſecundum verſatur in indagandis principiis , & tanquam ſeminibus unde corpora ſunt orta & concreta , horumque proprietatibus , & qualitatibus ; agit tertium de corporibus inanimatis , quæ cælo , aere , mari & terra continentur ; examinat quartum animata corpora , multipliceſque eorum ſpecies , & elementa Metaphyſicæ tradit ; quintum denique morum doctrinam complectitur . Nec ſolum in con-

conficiendis his libris res novas investigavit Corsinius ; sed etiam eas , quæ sunt ab antiquis traditæ , quarum cognitionem eo utiliorem putavit , quod sæpe philosophos nova proferre judicamus , cum pervetera proferant . Præter quam quod in ea erat opinione Corsinius , illi , cui propositum est veritatem invenire , singulas noscendas esse disciplinas , ut ex omnibus , quod probabile videri possit , eliciat , præsertim cum doceamur a sapientissimis viris , nullam sectam fuisse tam deviam , neque philosophorum quemquam tam delirantem , qui non viderit aliquid ex vero . Nec modo quid sibi probaretur , sed aliorum etiam sententias , & quid in quamque sententiam dici posset , persecutus est , quod ea modestia præstitit , ut non vincere maluisse , quam vinci ostenderit . Hanc opinionum varietatem ex suis fontibus sincere deductam , ut potentius in discipulorum animos influeret , non tam ordine disposuit , quam claritate & nitore Latini sermonis illustravit . Præclare enim Cicero : *Mandare quemquam litteris cogitationes suas ,*

qui

qui eas nec disponere possit , nec illustrare , nec delectatione aliqua lectorem allicere , hominis est intemperanter abutentis otio & litteris . Sunt nonnulli qui in hisce *Institutionibus* dum plenissimo ore laudant immensam eruditionis copiam , politioremque elegantiam , quibus ornantur , desiderare videntur abditiorem , reconditioremque tractationem earum rerum , quæ primum in physica tenent locum, quales ex. gr. sunt motus , Nevvtoniana attractio, harumque leges , non tam ut ceteros , quam ut se ipsum , qui nunquam adduci potuit , ut Nevvtoni sententiæ assentiretur , convinceret. Sed ii meminisse debent quibus scripsit Corsinius , quibusque temporibus scripsit . Quoniam vero plurima sunt in Physica , quæ sine Geometriæ ope tractari non possunt , hoc quoque adjumentum a se afferri oportere discipulis suis putavit . Itaque *Philosophicis Mathematicas Institutiones* adjecit, in quibus si ordinem excipias [initium enim facit a proportionibus , quas nemo ignorat difficiliorem esse Geometriæ partem] cetera satis belle procedunt. Neque mul-

multo post retexuit hoc ipsum opus, in quo eo elaboravit attentius, quod sperabat aditum sibi facturum ad munus tradendi mathematicas disciplinas; in Lyceo Florentino. Acceptum illud cum plausu fuit propter dilucidam brevitatem atque elegantiam, licet in eo acutiores peritioresque Geometræ pauca quædam merito reprehenderint. Præstantiam, quam consecutus fuerat Corsinius in rebus geometricis voluit ad Hydrostaticam transferre; cumque sedulo evolvisset quæ in ea facultate scriptis mandaverant post Galileum Torricellius, Michelinius, Guglielminius, Grandius, aliique pauci, in scenam prodire non dubitavit sustinens personam non modo consiliarii & arbitri de dirigendis avertendisque aquis, sed etiam scriptoris. Etenim illius est liber, qui inscriptus est: *Ragionamenti intorno allo stato del Fiume Arno e dell'acque della Valdinievole*, editusque sumptibus Marchionis Ferronii, cujus caussam præsertim defendebat. Spe dejectus Eduardus perveniendi in Lycei Florentini doctorum numerum, qui præter modum iis temporibus creverat, animum ad

Academiam Pisanam convertit, petiitque dari sibi vacuum eo tempore Logicæ interpretis locum. Celeriter quod optabat impetravit, propterea quod Joannes Casto Magnus Etruriæ Dux eximiam illius scientiam in omni re philosophica cognoverat. Vir non tam doctrina præstans quam docendo prudens [etenim quædam etiam ars est docendi] magno erat emolumento studiosis adolescentibus, qui non usitata frequentia scholam suam celebrabant. Cum vero de schola in otium solitudinemque se conferret, tempus potissimum consumebat in augendis perficiendisque suis *Philosophicis Institutionibus*, absolvendoque, quod instituerat, opere *de Practica Geometria*. Inter hæc magna fuit amnis Arni inundatio, ut si inundationes excipias, quæ annis MCCCCXXXIII. & MDLVII. acciderunt, nullam unquam majorem fuisse constaret. Pervaserat opinio per animos Florentinorum huic luctuosæ calamitati caussam præsertim dedisse Clanis aquas in Arnum deductas, & quæ ad easdem moderandas aquas facta fuerant opera. Hunc errorem ut eriperet Eduardus, utque

per-

persuaderet eadem opera fuisse utilissima ac saluberrima, libro exposuit qualis fuisset, & quis esset status Clanix vallis, quidque consultum & actum ab an. MDXXV. ad sua usque tempora, ut pestilentissima regio convalescere aliquando & sanari posset; utque controversiæ inter finitimos Principes de dirigendis aquis ejusdem regionis tollerentur. Pisis erat Corsinio contubernium cum Alexandro Polito, qui humaniores litteras profitebatur, cujusque vitam nos priori Decade explicavimus. Hominis Græcis & Latinis litteris eruditissimi exemplum & voces, selectissimorumque librorum copia, qua is abundabat, Corsinium per se jam flagrantem vehementissime incenderunt ad eas artes, quibus ab ineunte ætate deditus fuerat, celebrandas. Sciebat Græce, cujus sermonis elementa juvenis Florentiæ acceperat a sodali suo Francisco Maria Balestrio, sed non luculenter. Itaque multo sudore ac labore in arte grammatica primum se exercuit, postea Græca multa convertit in Latinum, Græcorum-

 que

que libros aucupans, studiosissime eos legebat. Sed cum iis præsertim se oblectabat, qui res gestas & orationes scripserunt. Cum esset autem acerrimo ingenio, undique eruditionem affluenter hauriebat. Qua abundantia locuples eandem ad antiquitatis studiosorum utilitatem, laudemque Academiæ Pisanæ conferre decrevit. Igitur *Fastos Atticos* illustrandos suscepit; magnum sane opus & præclarum, quod omnem fere Atheniensium historiam complecti debebat, cum qua Philosophiæ, omniumque laudatarum artium historia arctissime est conjuncta. Divisit illud ipsum opus in partes duas, quarum priorem veluti apparatum Fastorum esse voluit, quod in illa fuse lateque ea exponerentur, quæ commode in ipsis Fastis, ad quos tamen pertinebant, exponi haud posse videbantur. Agit itaque de Archontum institutione, numero, varietate, muneribus & serie, de Archontico anno, atque ordine mensium Atheniensium. Cum vero Archonticus annus non in menses solum, sed in Prytanias etiam divisus esset, ac Tribuum Atheniensium singulæ æqua-

æquali temporis, annique parte Prytaniæ munere fungerentur, de ipsarum Tribuum, ac Prytaniarum numero, ordine, ac serie, deque Atticæ populis, ex quibus illæ constabant, eruditissime disserit. Neque ab his separandam putavit tractationem de Atheniensium Senatu & Ecclesiis, deque Proedrorum, ac Epistatum numero, distinctione, & officiis. Transit inde ad contexendam Archontum seriem distinguens Eponymos a Pseudeponymis. Quam distinctionem licet nonnulli agnoverint, nemo tamen exstitit, qui Pseudeponymorum Archontum seriem illustrandæ Atticæ historiæ maxime necessariam recensere tentaverit. Agit demum de civilibus Græcarum gentium annis, ipsarumque mensibus, cyclis, atque periodo, cum antea declarasset tempus, verumque diem, quo varia Atheniensium festa peragi & redire consueverant. Id facere necesse fuit propterea quod eadem festa, veluti perspicuæ certæque temporis notæ, rerum gestarum memoriæ sæpissime a scriptoribus adjiciuntur. Hæc quidem in priori operis parte. In secunda

vero Fasti exponuntur a prima Olympiade, qua Coroebus palmam retulit, usque ad Olympiadem CCCXVI. Caussa fuit justa Corsinio praetereundi antiquiora tempora, quod ista laterent crassis occultata tenebris, & circumfusa fabulis. Ne tamen primam Atheniensis imperii formam despicere videretur (nam Athenis initio Reges, inde perpetui Archontes, mox decennales, tandemque annui imperarunt) qui Reges, & Archontes perpetui, & qua aetate fuerint in Prolegomenis persecutus est. Ceterum Fastos sic contexuit Corsinius, ut nullum ad nos pervenerit nomen Archontum, Olympionicarum & Pythionicarum, nulla lex, neque pax, neque bellum, neque casus, neque res illustris populi Atheniensis, quae in iis suo tempore non sit notata. Interdum etiam attigit Spartanorum, Phocensium, Thebanorum, aliorumque Graecorum gesta, consilia, pugnas, discrimina, quod ea maxime sint Atticae historiae conjuncta. Graecos vero Philosophos, Poetas, Oratores, ceterosque tum pacis, tum militiae artibus claros viros ita commemora-

vit,

vit, ut quibus olympicis annis, & quo loco in lucem sint editi, vitamque finierint intelligi possit. Atque hæc omnia capitulatim sunt dicta. Etenim nimis longus essem si præcipua, & nova vellem describere, quæ in his Fastis continentur. Nihil posuit in iis Corsinius sine locuplete auctoritate & teste, aut saltem sine probabili conjectura; quodque difficillimum fuit, Scriptorum Græcorum loca aut vitiata, aut minime intellecta, aut mutilata sic restituit, illustravit, supplevitque, ut dubitari posse videatur plus ne iis reddiderit luminis, an acceperit. Neque minori perspicientia Atheniensium nummos vidit, ex quibus non pauca quidem in rem suam hausit; sed multo plura e marmoreis monumentis sumpsit, tali modo dirimens controversiam, quæ exsuscitata fuerat a summis viris Spanhemio, & Gudio, nummis ne an inscriptionibus Princeps locus dandus esset in explicandis ritibus, festis, numinibus, ludis, magistratibus, rebusque gestis Atheniensium. Inter nobiliores inscriptiones, quas refert Corsinius, & miro prorsus acumine atque eru-

ditione explicat, & interdum etiam supplet, est Florentina quædam apud Riccardios illustrandis Atheniensium Tribubus maxime idonea. Sed hæc mirifice corrupta erat, augebatque corruptelam collocatio. Etenim cum ex tribus fragmentis constaret, imperitus artifex sic illa in pariete disposuerat, ut media pars primæ, sinistra mediæ, dextera vero omnium postremæ partis locum occuparet. Vidit hæc mala Corsinius, qui acutissime indagabat omnia, iisque remedia adhibuit. At puduit Joannem Lamium se non adeo lynceum fuisse, cum usus esset eadem inscriptione in suis ad Meursium scholiis, & ex pudore orta est invidia. Ex quo intelligi potest quare is debitas nunquam tribuerit laudes operi, quod omnium judicio longe multumque superat quidquid in hoc rerum Atticarum genere scripserunt Sigonius, Scaliger, Petavius, Petitus, Sponius, & vel ipsi Meursius, & Dodvvellus, quorum errores dum sæpe corrigit Corsinius, & dum minime ab iis animadversa profert, satis declarat iisdem detrahere voluisse

Hæren-

Hærentem capiti multa cum laude coronam.

Rumor erat ea parare Lamium, quibus sperabat hominibus se probaturum, Corsinium in emendanda illustrandaque Riccardiana inscriptione surripuisse sibi segetem & materiem gloriæ suæ. Porro Lamius post editas Corsinii emendationes supposuerat in locum impressæ jam paginæ in I. Meursii operum volumine, quæ præ se ferebat inscriptionem corruptam, aliam paginam, in qua emendatior inscriptio legebatur; hancque mutationem, omnibus occultari posse putaverat, quod Meursii liber nondum esset in vulgus editus. Non latuit certe Corsinium, in cujus manus pervenit etiam primum impressa pagina, qua omnem a se propulsare poterat injuriam. Id ut audivit Lamius tacendum putavit, occupatamque a Corsinio laudis possessionem suo silentio abunde confirmavit. Quamvis autem in *Fastis Atticis* elaborare Corsinio maxime gloriosum fuerit, non minorem tamen laudem reportavit ex suis *Agonisticis Dissertationibus*, de quibus Ludovicus Muratorius, in-

intelligens ſane judex , dicere ſolebat , poſſe eas per ſe ſolas æternum nomen Auctori comparare . His Diſſertationibus oſtendere voluit Eduardus quo tempore Græci celebrare conſueverunt ludos Olympicos , Pyticos, Nemeaeos , & Iſthmiacos , quod tempus eatenus fuerat vel incompertum , vel ſaltem obſcurum . In hoc autem non mediocrem utilitatem chronologiæ & hiſtoriæ ſe allaturum putavit , quod iiſdem ludis ſcriptores uterentur ad notanda deſignandaque rerum geſtarum tempora . Ab Olympicis exordiens, qui ceteros omnes ſplendore & frequentia ſuperabant, breviter de iis percurrit, quos ab Hercule primum inſtitutos Trojano bello deſiiſſe , moxque ab Iphito reſtitutos iterum intermiſſos fuiſſe ſcriptores narrant . Etenim illud caput eſſe videbatur , ut de Olympiade illa quæreret , qua Corœbus palmam accepit, & quæ prima dicitur , quod ab illa ceterarum Olympiadum numeratio incipiat . Hanc celebratam fuiſſe putat anno Periodi Julianæ MMMDCCCCXXXVIII. circiter ſolſtitium æſtivum plenilunii tempore , qui mos ſemper

man-

mansit non solum antiquioribus temporibus, quibus civiles Græcorum anni lunares erant, sed recentioribus etiam, quibus solares anni a Romanis ad Græcos transierunt. Primus is erat anni mensis, in quem incidissent Olympici ludi. Quinque diebus eorum certamina absolvebantur, inter quæ cursus, quo uno certatum est ad Olympiadem usque XVIII. primas tenebat. Neque in Ælide solum, sed & in aliis Græciæ urbibus summa cum populi frequentia ac sacrorum cœremonia Olympici celebrabantur, donec V. ineunte reparatæ salutis sæculo, iidem cum Pyticis sublati fuerunt. Pyticos primum instituit Apollo, eosque jamdiu intermissos, confecto Crissensi bello Olympiade XXXXVIII. Amphictyones revocarunt. Iidem Olympicorum instar pentæterici erant; neque secundis annis aut quartis, ut Petavius & Dodvvellus existimarunt, sed tertiis, hisque exeuntibus circa Elaphebalionis mensis finem, tum Delphis, tum in aliis Græciæ urbibus peragi consueverunt. Proxime post Pythia Olympiade scilicet LIII. instaurata fuerunt Nemea, quorum originem

re.

repetit Corſinius a ſeptem Argivis ducibus, qui ad leniendum deſiderium pueruli Archemori a ſerpente occiſi funebres hoſce agones CCCCLXXV. annis ante Olympiadem primam prope Nemeæum nemus inſtituerunt. At Nemeadem illam, ex qua veluti cardine ceteræ inſequentes numerari cœperunt, in annum IV. Olympiadis LXXII. poſt Marathoniam pugnam incidiſſe ſatis probabiliter Eduardus oſtendit. Nemeades æſtivæ aliæ, aliæ hibernæ, omnes vero trietericæ fuerunt; eæque alternis annis ita peragebantur, ut hibernæ quidem in medios ſecundos, æſtivæ vero in quartos ineuntes Olympiadum annos incurrerent. Cum Nemeis ludis quædam erat Iſthmicis a Theſeo, ut fertur, conſtitutis ſimilitudo. Funebres erant ambo, ambo trieterici, & qui in ambobus viciſſent apio coronabantur. Iſthimici quoque alii erant æſtivi, non tamen alii hiberni, ut quidem Dodvvellus putabat, ſed verni. Celebrabantur illi primis Olympiadum annis Hecatombeone menſe, hi Thargelione, exeunte fere tertio olympico anno. Sic definivit Corſinius

finius tempora quatuor illustrium Græciæ ludorum, patefaciens obscura & ignota vel ipsis chronologiæ luminibus Scaligero, Petavio, & Dodvvello, quorum auctoritate abreptus ipse in primo Fastorum Atticorum libro Pythiades secundis Olympicis annis concesserat. Agonisticis hisce Dissertationibus, veluti fastigium operis, idem adjecit seriem Hieronicarum alphabetico, ut dicitur, ordine dispositam, & Dodvvelliana longe uberiorem accuratioremque. Nam septuaginta supra centum victores recensuit, qui Dodvvellum prorsus fugerant; fontesque indicavit (in quo Dodvvelli diligentia sæpissime desiderabatur) unde uniuscujusque victoris nomen, aut patria, aut ætas, aut certaminis genus, quo vicisset, hauriebatur. Hoc opus vehementer adeo Auctori suo probatum erat, ut vir modestissimus in eo quodammodo gloriari videretur. Etenim, ut Attico scripsit Cicero: *sua cuique sponsa, suus cuique amor*. Quoniam autem tum in his Agonisticis Dissertationibus, tum in Fastis scribendis sæpe usus est Corsinius subsidio marmoreorum monumentorum.

rum, in quibus multæ occurrunt notæ, quarum neque facilis, neque prompta fuit explicatio, separatum opus a se expectare putavit Græcarum antiquitatum studiosos, cui propositum esset colligere non solum ex marmoreis, sed etiam ex æreis Græcorum tabulis varias eorum notas, hasque explicare & illustrare. Quæ dum animo versaret..., opérique jam manum admovisset, ecce in lucem prodit Scipionis Maffei liber *de Græcorum siglis Lapidariis*, in quo trecenta fere vocum compendia ingeniose feliciterque enodantur. Cum Eduardus ab amico librum accepisset, ei epistolam scripsit (relata hæc fuit in IV. volumen diarii Litteratorum Florentiæ editi) in qua summas tribuit Maffejo laudes, quod primus ex omnibus materiem hanc seorsim tractandam susceperit, magnam in illam conferens eruditionis copiam, & acre prudensque judicium. Non propterea tamen spartam, quam sibi sumpserat, ille deseruit, quia, ut ait Ausonius, *is erat campus, in quo alius alio plura invenire potest, nemo omnia*. Et plura certe Corsinius invenit,

nit, cum mille fere notas, aut numerorum, vocumque compendia uno volumine colligere potuerit & explicare illo ſuo acutiſſimo ingenio, cui inquirenti & contemplanti omnia occurrere ſeſeque oſtendere videbantur. Ut vero delectatione aliqua alliceret adoleſcentes, quibus inſuavis fortaſſe & aſperior videri poterat ſiglarum inveſtigatio, poſtquam multa eruditiſſime præfatus eſſet de notarum origine, vi, utilitateque, opportune ſparſit in toto libro non pauca ad Hiſtoriam, Geographiam, Chronologiam, ac Mytologiam ſpectantia. Ex quibus aliiſque diſciplinis uberiora etiam hauſit, ut ornaret Diſſertationes ſex, quas, abſoluta univerſa notarum ſerie, confecit, ut eſſent operis corollarium. Explicant illæ inſignes quaſdam Chriſtianæ & profanæ antiquitatis inſcriptiones, ſicque explicant, ut facile exiſtimari queat, eum qui non comprehenderit rerum plurimarum ſcientiam, quique judicio certo & ſubtili non ſit præditus, in his antiquitatis ſtudiis ſatis callide verſari & perite non poſſe. Inſcripſit Corſinius hoc ſuum opus: *Notæ Græcorum*,

rum, sive vocum & numerorum compendia, quæ in æreis atque marmoreis Græcorum tabulis observantur, dedicavitque Cardinali Quirinio, a quo pecuniam ad illud ipsum evulgandum dono accepit. Etenim his temporibus haud illi magna res erat, quæ vix satis esse videbatur ad vitam sustentandam, necessariosque libros emendos. Præpositus an. MDCCXXXV. Dialecticæ scholæ nihil aliud annui stipendii obtinuit nisi octingentos denarios. Hoc esse fatum videtur nobilissimæ quidem disciplinæ, ut pote quæ per omnes disciplinas manat ac funditur, ut qui illam profitentur mediocribus afficiantur præmiis. Vel ipsi Græci, quamvis essent æqui liberalium artium æstimatores, minam esse voluerunt mercedem Dialecticorum. Commodiori in statu res Corsinii esse cœperunt cum traductus fuit (id accidit an. MDCCXXXVI.) ad Metaphysicam atque Ethicam docendam. Tunc enim ipsius stipendium erat bis millenorum & amplius denariorum, posteaque illud ipsum ad quatuor mille ducentos quinquaginta usque pervenit, cum prosperæ res multæ con.

consecutæ fuissent. Satis superque id erat homini temperato ad vitam beatissimam; videbaturque sibi superare Crassum divitiis. Quantum vero sorte sua contentus, quantisque amoris vinculis Academiæ Pisanæ obstrictus esset, ex eo conjici potest, quod mortuo Ludovico Muratorio Mutinensis Ducis a bibliotheca in illius locum succedere recusavit, quamvis liberalissime ipsius Ducis verbis invitaretur. Quo cognito ab Emmanuele Comite Richecovrtio, qui Francisci I. Cæsaris nomine res Etruriæ administrabat, singularibus verbis ei gratias agendas censuit, eidemque prolixe de sua non modo, sed & Cæsaris voluntate pollicitus est. Id non potuit Corsinio non summe esse jucundum; utque viro de se & de Sodalitate sua bene semper merito gratum se ostenderet, dicavit illi Plutarchi opus *de Placitis Philosophorum* a se Latinum factum, vitaque Scriptoris, scholiis, & dissertationibus ornatum. Caussam suscipiendæ novæ interpretationis eidem dederunt nævi quidam, quibus maculantur Budæi, Xylandri, & Crusterii hominum ceteroquin do-

ctissimorum interpretationes; susceptam vero ita perfecit, ut verbum pro verbo reddiderit, multaque etiam attulerit de suo, quæ sunt diverso charactere notata, ne attenuata nimis diligentia perspicuitati officeret, & ne res ipsa omni Latinæ orationis dignitate cultuque destituta sordesceret. In limine operis Plutarchi vitam ex illius aliorumque veterum scriptis a se diligentissime collectam, & seriem philosophorum, quorum placita a Plutarcho proferuntur, ætatemque, in qua vixerunt, exposuit. Singulis vero operis capitibus brevia adjiecit commentaria, quæ aut mutilos & hiulcos Plutarchi locos supplent, aut depravatos emendant, aut obscuros atque perplexos, opportune allatis aliorum philosophorum sententiis, illustrant. Siquando autem longioris esse orationis putavit Corsinius lucem aliquam afferre rebus obscurissimis, cum non Heraclitus solum, sed & ceteri fere omnes antiquitatis philosophi, quorum sententias coarctavit & peranguste refersit Plutarchus, Σκοτεινῦ cognomen mereantur, hujusmodi illustrationes ad finem libri rejecit.
Quo

Quo in loco voluit etiam recensere illustriores sententias, quæ propriæ dicuntur recentiorum philosophorum, cum earum tamen manifesta appareant vestigia in Plutarchi libro, quod profecto ad veterum gloriam amplificandam plurimum valet. Tales sunt attractionis leges, viresque, ut dicuntur, centripeta & centrifuga, Cartesiani vortices, lunæ phases, maculæ, quodque hæc sit terra multarum urbium & montium, conversio solis, planetarum, siderumque certa quadam celeritate ac periodo circa axes suos, natura, constans motus, reversioque cometarum, telluris motus, quodque ex eo caussa maris æstus repetenda sit, meteororum explicatatio, aliaque hujusmodi multa tum ad corporum, tum ad animi naturam pertinentia. Profecto nihil dulcius erat Corsinio quam per abdita remotioris antiquitatis permeare, & inde nova & inexpectata deferre, quæ hominibus contemplanda bono in lumine exhiberet. Nam, ut Aristoteles inquit, suo quisque artifex studio atque opera impensius delectatur. Cum igitur accepisset ab Antonio

Francisco Gorio amicissimo suo graphidem eximii cujusdam anaglyphi, quod Romæ visitur in Ædibus Farnesianis, non magnopere hortandus fuit, ut in illo exponendo elaboraret. Exhibet hoc superiori in parte Herculem cum Europa, Hebe, Satyrisque quieti, voluptatique post exantlatos labores indulgentem, in inferiori vero tripodem Apollini sacrum, Argivæ Junonis Sacerdotem, atque alatam Virginem, & Herculem demum ipsum se se expiantem, ut purus ad Deorum concilium ascenderet. Hinc & illinc anaglyphum ornant binæ columnæ cum Græca inscriptione, quæ multis versuum decadibus Herculis gesta commemorat: in supremo tandem anaglyphi loco octodecim hexametra carmina exculpta sunt, quibus Herculis labores & certamina declarantur. Præclarissimi hujus monumenti explicationem Eduardus libello, quem ad Scipionem Maffejum instituit, complexus est; ex eoque judicari potest, vehemens assiduumque studium ipsi copiam eruditionis dedisse, naturam vero tribuisse ingenium ad conjiciendum divinandumque factum. Et sane

ne divinitionis cujusdam videtur, illum potuisse laceras ac depravatas multorum versuum lacinias felicissime corrigere atque supplere. Hoc ipso ferme tempore Corsinius ejusdem Gorii postulationibus Dissertationes quatuor concessit, quæ impressæ sunt ab illo in VI. volumine *Symbolarum litterariarum*. Extricat prima epigraphen sculptam in labro interiori cujusdam crateris ahenei Mithridatis Eupatoris (a), qui crater in museo Capitolino asservatur. Secunda patefacit obscuros ignoratosque dies natalem & supremum Platonis, qua occasione aliorum etiam virorum illustrium Archytæ, Philolai, Isocratis, Lysiæ, Dionis, & Socratis ætates & tempora persequitur. Explicat tertia adversam partem numismatis Antonini Cæsaris, in qua Prometheus humanum corpus ex luto fingens, & Pallas capiti mentem, papilionis

 ima-

(a) Sic interpretatur Corsinius mire involutam inscriptionem: *Regis Mithridatis Eupatoris Regni an. 54. Eupatoristis Gymnasii* (hoc est civibus Eupatoriæ qui in Gymnasio certarunt) *Senectutem conservat*, quod erat ad laudem vini, quo plenus crater victori concedebatur.

imagine expressam, inserens conspiciuntur. Curiosa sunt quæ excogitavit Corsinius, ut persuaderet hominibus morem repræsentandi humanam mentem sub papilionis imagine, non ex miris hujus volucris affectionibus & natura, non ex ipsa animi immortalitate, circuitu, aut transmigratione, non ex Chaldaicæ, Græcæque sapientiæ fontibus, non ex arcanis amoris mysteriis, sed ex sola artificum imperitia profluxisse. Cum enim unum idemque nomen *psyches* papilionem & animum designet, rudis artifex, qui primus animum exprimendum suscepit, non putavit hujus ideam posse melius excitari, quam objecta imagine illius rei, quacum is commune nomen habet. Quarta Dissertatio demum in eo versatur, ut ostendat mentitam & falsam esse Latinam quandam inscriptionem, quæ Pisis visitur in Scortianis Ædibus. Summi labores, quos Corsinius impendit in conficiendis, quos retulimus, libris, magna compensati fuerunt gloria, ut unus e multis, qui illustrandæ Græcæ præsertim antiquitati se se dederunt, excellere judicaretur. Cujus
de

de præſtanti in hoc rerum genere doctrina, tanta etiam judicia fecit Scipio Maffejus, quanta de nullo; cujus teſtimonii auctoritas maxima reputari debet non ſolum quod ab homine prudentiſſimo proficiſcitur, ſed etiam quia figulus invidens figulo, faber fabro, ut eſt Heſiodi dictum, alterius laudi & gloriæ minime favere ſoleat. Ex mutua opinione doctrinæ, ſimilitudineque ſtudiorum orta eſt inter eos jucundiſſima amicitia, cujus tanta vis fuit, ut Corſinius æſtate an. MDCCLI. quamvis non bene valens, Veronam venerit aliquot menſes commoraturus apud amicum. Quo tempore inter eos fuit familiariſſima ſocietas, & communicatio ſtudiorum. Dono accepit Corſinius a Maffejo tercentum fere Græcas inſcriptiones (has Edmundus Chishullius collegerat, & ſecundæ *Aſiaticarum antiquitatum* parti reſervaverat) ea conditione, ut eas Latine redderet atque illuſtraret. Satisfecit ille aliqua ex parte promiſſo ſuo, cum anno inſequenti edidiſſet eas inſcriptiones, quæ ad Athenas ſpectabant; eaſdemque iterum cum commentariis edidit qua-

driennio post, ut essent ornamento quarto Fastorum volumini. Nono mense postquam in Etruriam rediit Eduardus, moritur Alexander Politus, quocum ille ita vixit, ut quem pauci ferre poterant propter difficillimam naturam, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam. Mortuo autem Polito neque inquirendum, neque consultandum fuit quis illi successor in Academia Pisana daretur, cum omnium oculi statim in Corsinium conjecti fuissent. Ita hic exeunte an. MDCCLII. postquam octodecim fere annos Philosophiam tradidisset, munus docendi humaniores litteras libentissimo animo suscepit. Initio proposuit sibi (nam muneris ratio, & adolescentium utilitas ab eo postulabant, ut cum Græcis Latina conjungeret) explanare Plutarchi parallelas Græcorum, Romanorumque vitas, ut inde occasionem sumeret utriusque populi leges inter se conferendi. Memoriter dicebat e superiori loco, quod ad Præceptoris & Scholæ dignitatem plurimum, ut reor, confert; & quæ tradebat insignita erant luminibus ingenii, & con-

& conſperſa eruditionis ſententiarumque flore. Genus dicendi erat quietum & lene, purum & elegans, ut maxime teneret eos qui audiebant, & non ſolum delectaret, ſed etiam ſine ſatietate delectaret. Nulli diſcipulorum aditum, ſermonem, congreſſumque ſuum denegabat, quin immo eos bis in hebdomada domum ſuam invitabat, ut in ſtudiis exerceret Græcarum, Romanarumque antiquitatum. Domi etiam tradebat Metaphyſicam, quo onere non placuit Academiæ moderatoribus illum liberare niſi an. MDCCLIV. quo quidem tempore Venetiis evulgavit ſuas *Inſtitutiones Metaphyſicas*. In his adornandis illud unum propoſitum ſibi fuit, ut in animis adoleſcentium rectas de animæ immortalitate, arbitrii libertate, Dei exiſtentia, ceteriſque naturalis theologiæ dogmatibus notiones inſereret, quibus in gravioribus aliis diſciplinis veluti præſidiis uti poſſent, quibuſque caverent a peſte quadam hominum non tam religioni, quam reipublicæ infeſta, quæ rationem pervertendo ubique venenatas opiniones diſſeminare non veretur. Subaccuſent ali-

aliqui, si lubet, Corsinium, quod nimis parcus fuerit in pertractandis quibusdam rebus, quæ in ea, in qua nunc sumus, luce ignorari minime posse videntur; omnes profecto uno ore fateri debent tales esse hasce Institutiones, ut cupidi Metaphysicæ nullibi possint refrigerari salubrius atque jucundius. Postremum hoc operum fuit, quæ Corsinius Philosophiæ consecravit, nisi dicere velimus, etiam cum minime videretur tum maxime illum philosophari consuevisse. Quod declarant & ejus Latinæ orationes ad Academicos Pisanos refertæ Philosophorum sententiis, saluberrima præcepta, quibus adolescentes ad omne officii munus instruebat, doctissimorum Philosophorum familiaritates, quibus semper floruit, & ars illa distinguendi vera a falsis, colligendi sparsa, eaque inter se conferendi, diligenter examinandi omnium rerum verborumque pondera, nihilque asserendi sine evidenti ratione, aut saltem probabili conjectura: in qua arte quantum inter omnes unus excelleret, præsertim ostendebat, cum vetustatis monumenta inquireret. Hujus inquisitio-

tionis uber sane fructus fuit Dissertatio illa *de Minnisari , aliorumque Armeniæ Regum nummis , & Arsacidarum epocha* , quam idem in lucem extulit an. MDCCLIV. Difficultatis maximæ fuit ostendere Minnisari nummum , quem præcipue illustrandum Corsinius susceperat , ad illum spectare Manisarum Armeniæ & Mesopotamiæ Regem , de quo Dio Cassius in libro Romanæ historiæ LXVIII. mentionem fecit , & Arsacidarum epocham non in Parthiæ solum , sed etiam in Armeniæ regum nummis inscriptam fuisse , eamque ab anno Urbis conditæ DXXV. initium duxisse . Antea quidem doctissimorum virorum Usserii , Petavii , Norisii , Spanhemii , Vailantii , & Froelichii sententia fuerat , serius Arsacidarum imperium incepisse , adversus quam sententiam Eduardus ita pugnavit , ut veritas non minus quam modestia eluxerit . Quoniam vero in antiquitatis studio multæ res inter se ita nexæ & jugatæ sunt , ut , inventa una , aliæ , quæ prius latebant , se se contemplandas offerant , ita Corsinius in Minnisari regis nummo explicando varia scriptorum loca corrigere

gere & ſupplere, verum Darii genus expo- nere, Tridatem alterum, Arſamem, alioſque Armeniæ Reges Vailantio prorſus incognitos proferre potuit. Res in hac Diſſertatione contentæ, oppugnatæ quidem, ſed non everſæ fuerunt a Jeſuitis Froelichio & Zacharia, reſponditque ad ea, quæ objecta fuerunt, ſine iracundia Corſinius. Etenim veritatis unice amans alios a ſe diſſentire haud iniquo ferebat animo, ſemperque deteſtatus eſt eos, qui ſuis ſententiis quaſi addicti & conſecrati etiam ea, quæ plane probare non poſſent, conſtantiæ, non veritatis cauſſa defenderent. Propugnationem quoque Corſinii libello (1) ſuſcepit ejus convictor & ſodalis Carolus Antoniolius, qui quidem non mediocria adjumenta illi præbuit, cum plurimum valeret in omni genere ſtudiorum, quæ ipſe excolebat. Magni quoque Academiæ fuit Antoniolii opera in Græcis litteris tradendis toto illo ſexennio,

(1) Huic titulus eſt: *Lettere critiche di un Paſtore Arcade ad un Accademico Etruſco nelle quali ſi ſciolgono le difficoltà fatte contro un' opera del Reverendiſſimo Padre Corſini nel Tom. IX. della Storia letteraria d'Italia &c. in Piſa 1757. in 8.*

nio , quo Corsinius, coactus capessere summum Ordinis sui magistratum, bona Principis cum venia, & sine ulla stipendiorum jactura Pisis absuit. Hic Romam venit mense Aprili an. MDCCLIV. ardens desiderio indicia veteris memoriæ , quibus mirabiliter urbs illa abundat (quacunque enim quis ingreditur in aliquam historiam vestigium ponit) cognoscendi. Sed raro ei potestas dabatur huic suo desiderio satisfaciendi , cum podagræ doloribus sæpissime vexaretur , & munus suum diligentissime exequi vellet . Quanta vero prudentia ac dexteritate fuerit in tractandis negotiis , quanta æquitate in constituendis , temperandisque , si res poscebat , constitutis jam legibus , quanta humanitate erga omnes, quantaque vigilantia ac providentia in consulendo rebus præsentibus præcavendoque futuras, satis prædicari non potest. Cum autem nihil sine aliorum consilio agere ei mos esset, & facilitate summa uteretur in suos adjutores procuratoresque , inde nonnulli materiem sumpserunt falsæ criminationis, quod ad aliorum magis quam ad suum arbitrium

res

res Ordinis administraret. Omnino totum se tradidit Eduardus Sodalitati, totamque sic rexit, ut oblitus commodorum suorum omnibus prospexerit. Non est credibile quanto animi dolore angeretur, si aliquis suorum in crimen vocabatur. Horrebat enim homo innocentissimus vel ipsam peccati suspicionem. Sed non propterea sontibus irascebatur, hosque clementia magis atque mansuetudine, quam animadversione & castigatione ad frugem revocare studebat. Cum vero severitatem, sine qua respublica administrari non potest, adhibere cogebatur, similis, ut praeclare admonet Cicero, legum erat, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur. In his occupationibus muneris sui, ne plane cessare a scribendo videretur, extare voluit explicationem duarum Graecarum inscriptionum, quae museum ornant Bernardi Nanii Veneti Senatoris. Quam feliciter id praestiterit, perscrutata prius litterarum priscarum, quibus illae conscriptae sunt, forma atque vi, facile judicabunt ii, qni sunt harum deliciarum amatores. Tentaverat eandem

dem rem Franciſcus Zanettus, ſed longiſſime aberravit a vero ejus interpretatio. Ipſe Eduardus cum Anconæ eſſet ineunte anno MDCCLVI. eoque præſente cum multis aliis detecta fuiſſent atque agnita corpora Sanctorum Cyriaci, Marcellini, & Liberii, quos ſingulari obſequio eadem civitas veneratur, incitatus fuit, ut aliquid laboris impertiret illorum Sanctorum illuſtrandæ hiſtoriæ, definiendoque præſertim tempori, quo translata eorundem corpora fuerunt in eum, ubi nunc jacent, locum, & quo Anconæ coli cœperunt. Hæc Corſinius, edito commentariolo, accidiſſe oſtendit exeunte ſæculo XI., & ex ipſis antiquitatis monumentis, quibus ſententiam ſuam confirmavit, quatuor Anconitanorum Epiſcoporum nomina in lucem protulit, quæ uſque ad id tempus fuerant incognita. Perpauca in hoc commentariolo attigit de S. Liberio, quod ejus hiſtoriam involutam tenebris & fabulis exiſtimabat. Mox cum ei aliquid luminis affulſiſſet, & monumentorum ope, & mirabili illa ſua conjiciendi arte patefacere potuit Liberium fuiſ-
ſe

ſe unum ex ſociis S. Gaudentii Abſarenſis Epiſcopi , qui circiter an. MXXXX. Anconam venit, ſolitariam vitam acturus in ſuburbano Monaſterio Portus Novi. Harum rerum inventio multis laudibus celebrata fuit a Scriptoribus annalium Camaldulenſium (1) & pergrata quoque fuit Benedicto XIV. pro ſuo ſingulari ſtudio in Anconitanam Eccleſiam. Hic cum ſæpe ad congreſſum colloquiumque ſuum Eduardum invitaret, quod ejus ſummum ingenium, ſuaviſſimos mores, & eximiam probitatem & noſſet & diligeret, ſæpe quoque ipſum hortabatur, ut ea pergeret mandare litteris, quæ abdita Chriſtianæ antiquitatis patefacerent. Sed fuerunt juſtæ cauſſæ quare Corſinius amantiſſimis Summi Pontificis conſiliis minime optemperaverit; & quidquid ſubciſivorum temporum incurrebat, quæ perire non patiebatur, libentiſſime concedebat ſuis priſtinis ſtudiis. Ruſticabar cum eo in Tuſculano, quando epiſtolam ſcripſit ad Paullum Mariam Paciaudium, in qua plura de Gotarzis eximio nummo, ejuſque, Bardanis, & Arta-

(1) Vid. Tom. III.

Artabani Parthiæ Regum hiſtoria perſecutus eſt, & pro jure noſtræ amicitiæ ab ipſo poſtulabam, ut in otio, quod raro dabatur, & peroptato illi dabatur, ceſſaret a libris & a ſtylo. Verum cum is eſſet ut ſine his ſtudiis vitam inſuavem duceret, dicere ſolebat hujuſmodi ſcriptiones non premere, ſed relaxare animum. Et relaxatione certe aliqua ille indigebat, cui grave adeo erat, quod multi appetunt, ceteros regere, ut onus Ætna majus ſibi ſuſtinere videretur. Poterat quidem illi eſſe levamento recordatio multorum benefactorum, inter quæ maximum illud reputari debet, quod eo ſexennio, quo ad Sodalitatis gubernaculum ſedit, viginti domus, ſive collegia conſtituta ſunt. Interim advenit tempus, quo Magiſtratu ſe abdicare, & extremos auctoritatis ſuæ fructus capere debebat in provehendo digno viro, qui ſibi ſuccederet. Verum minime illi contigit, ut ſunt ancipites variique caſus comitiorum, quem optabat, exitus. Peractis comitiis, ſine mora rediit ad Academiam, & ad illam ſuam quietam in rerum contemplatione &

cognitione maxime positam degendæ vitæ rationem, qua qui frueretur negabat ei aliquid deesse ad beate vivendum. Liber de Præfectis Urbis ei erat in manibus; Græcas inscriptiones in Asia repertas, quas, ut supra retulimus, a Scipione Maffejo dono acceperat, quasque jampridem Latinas fecerat, copiosis commentariis explicabat; aderat discipulis suis; veniebat frequens in Academiam, afferebat res multum & diu cogitatas, faciebatque sibi audientiam hominis erudita, compta & mitis oratio. Idem efflagitatu & coactu amicorum instituta hoc tempore opera abrupit, ut explicationem lucubraret cujusdam nummi recens in Austria reperti, in quo erat nomen & imago Sulpiciæ Dryantillæ Augustæ. Conjiecit ille feminam hanc libertam fuisse, libertatemque accepisse a Sulpicio quodam, ab eoque in Sulpiciam gentem receptam; nupsisse demum Carino sceleslissimo Imperatori. Hæc porro incerta. Illud unum sine ulla dubitatione colligi posse videtur ex nummi fabrica, characterum forma, feminæque ornatu, illum ipsum num-

mum

mum cuſum fuiſſe inter Elagabali & Diocletiani imperium, proptereaque Dryantillam ad aliquem Imperatorum, qui illo intervallo regnarunt, pertinere. Neque his contentus Eduardus voluit etiam excutere hiſtoricorum, & rei nummariæ interpretum mire inter ſe diſſidentes opiniones de Aureliani, ac Vaballathi imperio atque ætate, ac poſtremo ſuam ſententiam proferre. Fuit hæc; Aurelianum exeunte Julio, vel ineunte Auguſto an. CCLXX. imperium ſuſcepiſſe, eaque multis & gravibus confirmatur argumentis. Ad ea vero diluenda, quæ contra dici poterant ex illorum ſententia, qui præſertim niti videbantur lege quadam data a Claudio VII. Kal. Novembris Antiochiano & Orfito Conſulibus, ut ſerius Aurelianum inchoaſſe imperium perſuaderent, diſtinguit Conſules ordinarios a ſuffectis. Hac autem conſtabilita diſtinctione, quæ maxima apta erat non ſolum ad id, quod requirebat, ſed etiam ad expediendos alios, quos vel ipſe Scaliger indiſſolubiles in Chronologia exiſtimaverat nodos, concludit eandem legem editam fuiſ-

ſe an. CCLXIX. vel CCLXIIX. quando Antiochianus & Orſitus ſuffecti Conſules erant, minime vero an. CCLXX. iiſdem Conſulibus ordinariis. Nec minor difficultas erat oſtendere, qui fieri potuerit, ut Aurelianus ad VII. Imperii annum perveniſſe dicatur, & explicare locum Euſebii, qui tradit in ejuſdem tempora incidiſſe III. Antiochenam Synodum: exploratum eſt enim hanc Synodum an. CCLXIX. incœptam & abſolutam fuiſſe. Feliciter hæc præſtitit Corſinius, cum probaſſet Aurelianum anno & ultra antequam a legionibus poſt mortem Claudii Imperator fieret, ab ipſo Claudio deſtinatum ſibi fuiſſe ſucceſſorem, adeoque ampla poteſtate donatum, ut ab hoc tempore nonnulli ejus Imperii initium ſumere potuerint. Quæ vero de Vaballatho diſſeruit Corſinius hæc ferme ſunt. Illum Zenobia procreavit ex Athena priori viro, ejuſdemque nomine ab anno CCLXVI. uſque dum Claudius in Gothicum bellum unice intentus vixit, Orientis imperium tenuit. Ex quo factum eſt, ut quæ hoc tempore cuſa ſunt Vaballathi numiſmata, *Impe-*

rato-

ratorem Cæsarem Augustum illum nominent. Postquam vero ille descivisset a matre, ut Aureliano adhæreret, huic quidem conjunctus in nummis repræsentari voluit, minime vero paludamento, radiata corona, splendidoque Augusti nomine decoratus, solo Imperatoris contentus. Prætereo alia multa scitu dignissima in hac Dissertatione contenta, ne cum nimis longus in recensendis scriptis operibus fuerim, videar oblitus consuetudinis & instituti mei. Hujus libelli cura liberatus Corsinius totus in eo fuit ut absolveret *seriem Præfectorum urbis ab urbe condita ad annum usque* MCCCLIII. *sive a Christo nato* DC. Etenim posteriora tempora minime inquirenda putavit, quibus, penitus fere exstincto Urbanæ Præfecturæ splendore ac dignitate, nonnisi tenue nomen, ac levissima pristinæ majestatis umbra superfuit; ex quo fiebat, ut nihil inde lucis sacra & profana sperare posset Historia, cum contra uberrimam splendidissimamque utraque acciperet ex veterum Præfectorum serie, horumque ætate rite constituta. Ut vero non

utilitate ſolum , ſed etiam jucunditate lectores invitaret Corſinius, operi varia opportune admiſcuit, quæ marmora & Scriptores, quorum teſtimoniis ubique fere utitur, corrigunt & illuſtrant, Interpretumque falſas opiniones atque errores emendant. Non ego ſum neſcius multos anteceſſiſſe Corſinium in hujuſmodi pertractando argumento; ex quibus omnibus, ac præſertim Jacobo Gothofredo, ac Tillemontio plurima in rem ſuam tranſtulit. Sed ii exiguis finibus operam ſuam continuerunt, ſi unum excipias Felicem Contelorium, qui contextam a Panvinio Præfectorum ſeriem ad annum uſque MDCXXXI. traduxit. Tale tamen non fuit Contelerii opus, quin eadem de re aliquid politius, copioſius, perfectiuſque proferri a Corſinio potuerit. Et protuliſſe certe oportet, cum æterna ſuorum laborum præconia ab intelligentibus viris reportaverit. Dum ille ſine intermiſſione obſequebatur ſtudiis ſuis & adoleſcentium utilitati, oblitus videbatur ſe jam ſenem factum (quando enim typis mandavit librum de Præfectis urbanis ſexageſimum primum ætatis

tis annum agebat) & infirma ægraque valetudine esse. Sed accidit miserabilis casus, qui repente ipsi omnem spem non solum litteris, sed etiam naturæ vivendi præcidit. Est hæc consuetudo Academiæ Pisanæ, ut qui humaniores litteras profitentur, Kalendis Novembris, quo tempore instaurari studia solent, Latinam orationem habeant ad vehementius inflammandam cupidam doctrinarum juventutem. Dicebat eo ipse die Eduardus (vertebat tunc annus tertius supra sexagesimum hujus sæculi) de viris, qui & scriptis editis, inventisque rebus in Academia maxime floruerunt, eaque erat oratio, ut nunquam is dixisse melius judicaretur. Cum eo pervenisset, ut exultaret in immenso Galilei laudum campo, repente apoplexis ipsum perculit, ac semivivum reliquit. Dolore hjus casus ostensum est quantum ille Academiæ esset acceptus. Ægre domum deductus, ibi quatriduo cum morte conflictatus est. Quinto die multis adhibitis remediis, levari cœpit, ac præter spem paullatim convaluit. Ut ardenter desideraret pristinas recuperare vi-

vires, efficiebat ille suus singularis amor in Academiam, cui majus se non posse munus afferre videbat, quam si institutum jussu Principis biennio fere ante opus de ejusdem Academiæ ortu, progressu, ac vicibus ad umbilicum perduceret. Plurima collegerat atque vulgaverat ad hanc historiam pertinentia vir diligentissimus Stephanus Maria Fabruccius Juris civilis in eadem Academia doctor, quæ quidem ampla & bella materies esse poterant ad novum ædificandum opus. Hoc igitur subsidio instructus Eduardus, alacer se se ad rem accinxit. Et primo quidem illustrium Italicorum Gymnasiorum originem subtexuit, differensque quatuor prioribus capitibus de prima Gymnasii Pisani institutione, neque ab XI. neque a XIV. Christi sæculo, ut multi scripserunt, sed ab ineunte XIII. vel exeunte XII. illam repetendam esse existimavit. Ex hoc tempore ad annum usque MCCCXXXIX., quo anno Fabruccius contendit cœpisse Academiam Pisanam, hanc si nullam dicere nolumus, minimam certe fuisse oportet. Consecutæ deinceps vices multæ, ut

ipsa

ipsa modo languescere, modo ad interitum properare, vires vitamqne modo recuperare, ac sæpe etiam veluti extorris sedem mutare visa fuerit. Quæ omnia octo consequentibus capitibus persecutus est Eduardus. Cum vero Academiæ res, imperante Cosmo I. ceterisque non solum Mediceis sed etiam Lotharingis Principibus, felicissime processissent, quibus ab his beneficiis, splendore atque gloria aucta, quibusque gubernata legibus consuetudinibusque, variis interdum pro temporum varietate, exposuit in quatuordecim capitibus, quorum nonnulla adumbrata magis quam descripta videntur. Hæc omnia primam operis partem conficere debebant, cum reservasset alteram, quam tamen minime attigit, Doctorum vitis. Dum hæc scripta legebam videbatur mihi posse ab Auctore desiderari major rerum copia, magisque apta ac pressa oratio. Inest quidem in omnibus Corsinii scriptis luxuries quædam, quæ, ut in herbis rustici solent, depascenda erat; quod si est vitium in omni oratione, maximum tamen est in histo-

ria,

ria , in qua pura & illuſtris brevitas expetitur. Eodem tempore quo Eduardus in Academiæ hiſtoriam incumbebat , ne plane ſuperioris ætatis ſtudia deſeruiſſe videretur, epiſtolam ſcripſit ad amicum & collegam ſuum Franciſcum de Albizzis , in qua *de Auſonii Burdigalenſi conſulatu* egit . Deſperaverant vel ipſi Chronologiæ Patres Pagius & Panvinius computationem quandam annorum ab Auſonio factam in epigrammate ad Proculum , in quo ab Urbe condita ad conſulatum ſuum MCXVIII. annos enumeravit , conciliari poſſe cum Varoniana epocha, ideoque novam excogitarunt epocham XIII. annis Varoniana poſteriorem , qua non ſolum Auſonium, ſed etiam Arnobium uſos fuiſſe ſcripſerunt . Horum aliorumque Auſonii interpretum errorem ut corrigeret Eduardus , probare debuit Auſonium non Romanum modo , ſed & Burdigalenſem geſſiſſe conſulatum , & Romanorum & Burdigalenſium Conſulum faſtos conſcripſiſſe. Qua diſtinctione conſtabilita , facile fuit oſtendere eundem Auſonium in epigrammate, quod ad Heſperium

rium filium misit cum Romanis fastis de Romano a se gesto consulatu, in epigrammate autem illo, quod est ad Proculum, de patrio, municipali, quinquennali (etenim in municipiis omnibus majores magistratus quinquennales esse solebant) de Burdigalensi nimirum consulatu locutum fuisse. Hanc epistolam secuta est altera ad Joannem Chrysostomum Trombellium Canonicum Regularem, in qua de nummo quodam ab Atheniensibus Liviæ Augustæ dicato, illiusque ætate disserens, feminam illam non supremis tabulis, sed matrimonii jure a Marito nomen Augustæ accepisse pluribus monumentis comprobat. Quæ quidem aliaque ex abditissima antiquitate deprompta, quæ sparsit Corsinius in hac epistola, ut jucunda lectoribus, ita iisdem plena mœroris fore arbitror, quæ in extrema pagina ejusdem epistolæ Trombellius adnotavit. Inquit enim ille: *Dum extremam hujus epistolæ partem edimus, monemur, eodem fere tempore, quo Brixiæ egregius Mazzuchellius, inclytum Corsinium nostrum Pisis apoplesi repente ereptum.*

Eheu

Eheu litteræ afflictæ! o amicos incomparabiles! o annum vere calamitosum & pessimum! Dies, quo illum apoplexis iterum invasit fuit v. ante Kal. Decemb. an. MDCCLXV. post quem casum tribus ferme diebus vixit sine sensu. Sepultus est in Æde S. Euphrasiæ totius Academiæ luctu, quæ hanc calamitatem acerbissime doluit, doletque adhuc reminiscens se orbatam homine, in quo plurimæ erant litteræ eæque interiores, divinum ingenium, ac industria summa, & illustri adeo fama, ut hac sola muneris sui splendorem tueri potuisset. Atque hæc vitæ decorabat dignitas & integritas. Quanta gravitas mixta comitati in vultu & moribus! quantum pondus in verbis! quam nil inconsideratum exibat ex ore! quam diligenter inquirebat in se se, atque ipse se se observabat! Omnino tantus erat in ipso ordo, constantia, & moderatio dictorum omnium atque factorum, ut probitatem & religionem præ se ferret, & ad omne virtutis decus natus videretur.

Quidquid come loquens, & omnia dulcia dicens

mira-

mirabiliter ad ſe diligendum omnium animos alliciebat ; neque unquam accidit, ut quis uno verbo cum eo concertaverit . Quod non tam naturæ quam virtutis erat . Etenim iracundiæ aculeos aliquando ſentiebat , ſed hos perpetuus cupiditatum domitor frangebat, planeque occultabat. Secum ipſe vivens animi triſtitiam frequenter patiebatur , præſertim ſi contemplaretur miſera , in quæ incidimus, tempora, quibus corrumpere & corrumpi ſæculum vocatur . Quod vero nonnulli perverſe adeo abuterentur Philoſophia , ac præſertim Metaphyſica , ut ea animos a religione avocarent , tanto illum perfundebat horrore , ut vehementer pœnitere eum nonnunquam videretur induſtriæ ſuæ , quam in erudienda juventute ad recentiorum Philoſophorum dogmata inſumpſerat. Quæ quidem pœnitentia injurioſa mihi videtur omnium artium parenti Philoſophiæ , quaſi ejus culpa , quæ deflebat mala Eduardus , accidiſſent. Etenim ſunt unicuique ſcientiæ certi fines ac termini ab omnium rerum moderatore Deo conſtituti, quos qui tranſilit, næ ille

ille devius in præcipitem locum ruat necesse est. Sed ad Corsinium revertor, de cujus laudibus non est tacendum summæ illum bonitati ingenuitatique summam dexteritatem, quod raro evenit, conjunxisse. Liberalis minimeque cupidus pecuniæ hanc facile a se extorqueri patiebatur. Virorum litteris illustrium amicitias studiosissime coluit, amavitque in primis Trombellium & Paciaudium, quorum mentionem supra fecimus; quorumque consuetudinis magnum cepit fructum eo præsertim tempore, quo Romæ fuit. Dolui ipsum combussisse, quas ab amicis accipere solebat, epistolas, quia sciebam in iis erudita multa contineri; quodque mihi non mediocri subsidio futuræ fuissent huic explicandæ vitæ. De qua satis erit dictum, si hoc unum addam, eundem ineditas reliquisse binas Dissertationes de S. Petro Igneo, & B. Joanne *delle Celle*, librum de civitatibus, quarum mentio fit in Græcis nummis, sexque Latinas orationes habitas in Academia Pisana, ex quibus lenitas ejus sine nervis cognosci potest.

OPE-

Opera Edita.

INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ, *ac Mathematicæ ad usum Scholarum Piarum : Tomus I. Florentiæ typis Bernardi Paperini* 1731. *in* 8.

—— *Tom. II. continens physicam generalem* 1732.

—— *Tom. III. continens libros de cœlo, & mundo* 1732.

—— *Tom. IV. continens tractatum de anima, & metaphysicam*. 1733.

—— *Tom. V. continens ethicam vel moralem*. 1734.

—— *Tom. VI. continens institutiones mathematicas*. 1731.

Editæ iterum fuerunt hæ Institutiones in V. tomos distributæ anno 1741. & 1742 Bononiæ ex typographia Lælii a Vulpe cum hoc titulo : *Eduardi Corsini Cl. Reg Scholarum Piarum, & in Pisana Academia Philosophiæ Professoris Institutiones Philosophicæ ad usum Scholarum Piarum editio altera auctior, & emendatior*.

RAGIONAMENTI intorno allo stato del Fiume Arno, e dell'acque della Valdinievole : In Colonia appresso Hans VVetergroot. 1732. *in* 4.

ELEMENTI DI MATTEMATICA, ne' quali sono con miglior ordine, e nuovo metodo dimostrate le più nobili e necessarie proposizioni di Euclide, Apollonio, e Archimede di Eduardo Corsini Ch. Reg. delle Scuole Pie : in Firenze l'anno 1735. *nella Stamperia di S. A. R. per li Tartini, e Franchi in* 8.

Hæc elementa mathematica edita secundo fuerunt Venetiis anno 1765. apud Antonium Perlinum, in qua editione quædam mutata sunt, emendatusque error, quo captus fuerat Auctor, dum

in

in priori editione expofuit Propofitionem XXXV. Libri XI. Venetæ huic editioni adjectus eft ejufdem Auctoris liber *della Geometria Pratica*.

RAGIONAMENTO ISTORICO fopra la Valdichiana, in cui fi defcrive l'antico e prefente fuo ftato: in Firenze 1742. nella Stamperia di Francefco Moücke in 4.

FASTI ATTICI, in quibus Archontum Athenienfium Series, Philofophorum, aliorumque illuftrium Virorum ætas, atque præcipua Atticæ hiftoriæ capita per Olympicos annos difpofita defcribuntur, novifque obfervationibus illuftrantur; Auctore Eduardo Corfino Ch. Reg. Scholarum Piarum in Pifana Academia Philofophiæ Profeffore. Florentiæ 1744. ex typographia Jo. Pauli Giovannelli ad infigne Palmæ in Platea S. Elifabeth.

—— *Tom. II.* prodiit anno 1747. ex eadem typographia.

—— *Tom. III.* prodiit anno 1751. ex eadem typographia.

—— *Tom. IV.* prodiit anno 1756. ex Imperiali typographia.

EDUARDI CORSINI Cl. Reg. Scolarum Piarum in Academia Pifana Philofophiæ Profefforis Differtationes IV. Agoniſticæ, quibus Olympiorum, Phythiorum, Nemeorum, atque Ifthmiorum tempus inquiritur, ac demonftratur: Accedit Hieronicarum catalogus editis longe uberior, & accuratior. Florentiæ anno 1747. ex typographia Imperiali. In extrema pagina hujus libri exhibetur integra feries menfium Macedonicorum, Atticorum, & Romanorum ad demonftrandum verum eorum fitum ac connexionem; quam feriem hoc quoque in loco nos exponemus, quia rem gratam antiquitatis ftudiofis facturos arbitramur. Series enim a Corfinio contexta differt nonnullis in menfibus ab ea quam Scaliger, Uffe-

Usserius, Petavius, Dodvvellus, aliique descripserunt.

Macedonici	Attici	Romani
Lous	*Hecatombæon*	*Julius*
Gorpiæus	*Metagirnion*	*Augustus*
Hyperberetæus	*Boedromion*	*September*
Dius	*Pyanepsion*	*October*
Apellæus	*Mæmacterion*	*November*
Audynæus	*Posideon*	*December*
Peritius	*Gamelion*	*Januarius*
Dystrus	*Anthesterion*	*Februarius*
Xanthicus	*Elaphebolion*	*Martius*
Artemisius	*Munychion*	*Aprilis*
Dæsius	*Thargelion*	*Majus*
Panemus	*Scirrhophorion*	*Junius*

LETTERA intorno all' opera del Marchese Scipione Maffei intitolata : Græcorum Siglæ lapidariæ. Extat in tom. 4. par. 3. *del Giornale de' Letterati pubblicato in Firenze* 1747.

NOTÆ GRÆCORUM, sive vocum & numerorum compendia, quæ in æreis atque marmoreis Græcorum tabulis observantur. Collegit, recensuit, explicavit, easdemque tabulas opportune illustravit Eduardus Corsinius Cl. Reg. Scholarum Piarum in Academia Pisana Philosophiæ Professor. Accedunt Dissertationes sex, quibus marmora quædam tum sacra tum profana exponuntur ac emendantur. Florentiæ anno 1749. *e typographio Imperiali in fol.*

PLUTARCHI DE PLACITIS PHILOSOPHORUM libri V Latine reddidit, recensuit, adnotationibus, variantibus lectionibus, dissertationibus illustravit Eduardus Corsinus Cler. Reg. Scholarum Piarum in Pisana Acad. Philosophiæ Professor. Florentiæ 1750. *ex Imp. typographio in* 4.

DISSERTATIONES IV. *quibus antiqua quædam insignia monumenta illustrantur*. Vide eas in Tom. VI. *Symbolarum litterariarum Antonii Francisci Gorii*.

HERCULIS QUIES ET EXPIATIO in eximio Farnesiano marmore expressa. in fol.

INSCRIPTIONES ATTICÆ nunc primum ex Cl. Maffeii Schedis in lucem editæ Latina interpretatione brevibusque observationibus illustratæ ab Eduardo Corsino Cler. Regul Scholarum Piarum in Academia Pisana Philosophiæ Professore. Florentiæ anno 1752. *ex typographio Jo. Pauli Giovannelli in* 4.

SELECTA ex Græciæ Scriptoribus in usum studiosæ Juventutis. Florentiæ anno 1753. *ex Imperiali typographio in* 8.

INSTITUTIONES METAPHYSICÆ in usus Academicos auctore Eduardo Corsino Clericorum Regularium Scholarum Piarum in Academia Pisana Philosophiæ Professore. Venetiis ex Typographia Balleoniana 1754. *in* 12.

EDUARDI CORSINI Cl. Reg. Scholarum Piarum in Academia Pisana humaniorum litterarum Professoris de Minnisari aliorumque Armeniæ Regum nummis, & Arsacidarum Epocha Dissertatio. Liburni 1754. *typis Antonii Santini & Sociorum in* 4.

SPIEGAZIONE di due antichissime inscrizioni Greche indirizzata al Reverendissimo Padre Anton Francesco Vezzosi Preposito Generale de' Cherici Regolari, Lettore nella Sapienza Romana, ed Esaminatore de' Vescovi da Edoardo Corsini Ch. Reg. delle Scole Pie. In Roma 1756. *nella Stamperia di Giovanni Zempel in* 4.

RELAZIONE dello scuoprimento e ricognizione fatta in Ancona dei Sacri Corpi di S. Ciriaco, Marcellino, e Liberio Protettori della Città; e Riflessioni sopra la translazione, ed il culto di questi Santi. In Roma 1756. *nella Stamperia di Giovanni Zempel in* 4.

EDUAR-

EDUARDI CORSINI Cler. Regul. Scholarum Piarum, & in Academia Pisana humaniorum litterarum Professoris Dissertatio, in qua dubia adversus Minnisari Regis nummum, & novam Arsacidarum epocham a Cl. Erasmo Froelichio S. J. proposita diluuntur. Romæ 1757. ex typographio Palladis in 4.

EDUARDI CORSINI Cler. Regul. Scholarum Piarum & in Academia Pisana humaniorum litterarum Professoris ad Clarissimum virum Paulum Mariam Paciaudium Epistola, in qua Gotarzis Parthiæ Regis nummus hactenus ineditus explicatur, & plura Parthicæ historiæ capita illustrantur. Romæ 1757. in typographio Palladis. Excudebant Nicolaus & Marcus Palearini in 4.

EDUARDI CORSINI Cl. Reg. Scholarum Piarum in Pisana Academia humaniorum litterarum Professoris Epistolæ tres, quibus Sulpiciæ Dryantillæ, Aureliani ac Vaballathi Augustorum nummi explicantur & illustrantur. Liburni 1761. apud Jo. Paullum Fantechium ad signum verit. in 4.

SERIES PRÆFECTORUM URBIS ab urbe condita ad annum usque MCCCLIII. sive a Christo nato DC. collegit, recensuit, illustravit Eduardus Corsinus Cler. Reg. Scholarum Piarum in Academia Pisana humaniorum litterarum Professor. Pisis A. D. 1763. excudebat Joh. Paulus Giovannellius Academiæ Pisanæ Typographus cum Sociis in 4.

NOTIZIE ISTORICHE intorno a S. Liberio sepolto e venerato nella Cattedrale della città di Ancona all'Eminentissimo Signor Cardinale Acciajuoli Vescovo di detta città. In Ancona 1764. nella Stamperia Bellelli in 4.

EDUARDI CORSINI Cl. Reg Scholarum Piarum, & in Academia Pisana humaniorum litterarum Professoris Epistola de Burdigalensi Ausonii Consulatu. Pisis A. D. 1764. Excudebat Joh. Paulus Gio-

vannellius Academiæ Pisanæ typographus cum Sociis in 4.

EDUARDI CORSINI Clericor. Regular. Scholarum Piarum Ex-generalis, & in Pisana Universitate Primarii Lectoris ad Joannem Chrysostomum Trombellium Canonicorum Regularium Congregationis S. Salvatoris Ex-generalem & S. Salvatoris Bononiæ Abbatem Epistola. Bononiæ 1766. ex typographia Longhi in 4.

Opera Inedita.

DISSERTAZIONE sopra S. Pietro Igneo.

—— sopra il B. Giovanni delle Celle.

DE CIVITATIBUS quarum mentio fit in Græcis nummis.

PARS I. Historiæ Academiæ Pisanæ.

LATINÆ ORATIONES VI. ad Academicos Pisanos.

RAY-

RAYMUNDO CUNICHIO.

ANGELUS FABRONIUS. S. P. D.

O *Factum bene de Marotto! Incredibile enim est quantis hic extollantur laudibus, quæ ipse de Malpighio scripsit, quibusque nos in superiori Decade locum dedimus. Nunc aliud est quod, te deprecatore, ab ipso velim. Postquam Scholæ satisfecerit, sumat in manus quæ Dominicus Riviera, jejunius sane quam par erat, de Raphaelis Fabretti vita exaravit, demat, addet, mutet, ut totum aliud opus efficiat, quod erit ad III. Decadis ornamentum & decus. Est enim propositum meis scriptis aliena miscere, ut defessi lectorum animi habeant tanquam peropportunum aliquod diversorium, in quo requiescant. Næ ego multo libentius a te aliquid expostulassem, ne semper Marotto essem molestus. Sed in te tantum ardorem perspexi absolvendi Latinam interpretationem Homeri, ut peccare mihi visus fuissem, si te a tam laudabili opere abstraxissem. Omnes enim*

litterarum Græcarum Latinarumque amatores plurimum exoptare debent, ut talis extet interpretatio Homeri, quæ & elegans & perspicua & Latina sit, atque ita demum cum exemplaribus consentiat suis, ut non modo, si fieri possit, sensa omnia referat, verum etiam verba ipsa atque adeo verborum ipsorum vim ac venustatem assequatur. Quod cum minime Helius Eobanus Hessus præstiterit, tu quidem pro tua singulari præstantia ingenii & doctrinæ præstare facile poteris. Paucula enim illa, quæ ex Homero, ex Theocrito, ex Callimacho in Latinum carmen a te conversa atque in lucem edita degustavimus, adeo polita, poetica, Latina atque perfecta sunt, ut injuriosius facere videremur, nisi quidvis magnum ac singulare de te expectaremus. Urge igitur quod aggressus es; & quandoquidem superioribus mensibus Latinam Theocriti conversionem totam absolvisti, Homeri etiam Iliadem confice: neque enim dubitare debes, quin magnum laborem major & fama sit consecutura. Habes sane hac in re, qui te vehementer excitare

de-

debeat, Josephum Bozolum contubernalem tuum, qui sic e Græco in Italicum carmen Iliadem convertit, ut tale ac tantum opus origine Italicum judicari possit. Similem a te versionem expectamus, ut non Homerus, sed Virgilius ipse loqui videatur; nec dubitamus, quin & omnium votis, & tu ipse tibi satisfacturus sis. Vale.

Pisis IV. Kal. Februarii MDCCLXX.

RAPHAEL FABRETTUS.



APHAEL FABRETTUS, de cujus vita ea, quæ nobis comperta fuere, memoriæ mandare constituimus, nobili genere Urbini natus est, nempe in ea urbe, quæ cum semper clarissimis viris floruit, tum optimarum artium studiis omni tempore mirifice est illustrata, quorum utrumque suorum Ducum munificentiæ Urbinates acceptum referunt. Familia enim Roborea, cujus in ditione Urbinum fuit, ita semper liberalium artium studia fovit, ut nihil in ipsius urbis procuratione

ne ſibi antiquius duxerit, quam ut in ea litteratiſſimis viris, artificibuſque præſtantiſſimis domicilium conſtitueret. Ex quo ſane factum eſt, ut tam multi ex ea in omni doctrinarum artiumque liberalium genere egregii viri extiterint, ut neſciam, an alia uſquam urbs hac laude huic præſtare poſſit. In ea igitur urbe anno MDCXIX. regnante adhuc Franciſco Maria Roboreo, natus eſt Fabrettus, cui cum præcellens ingenium naturæ munere obtigiſſet, nil mirum brevi tempore unum ex iis evaſiſſe, quos Urbinates præſtantioribus ſuæ civitatis viris adnumerant. Excitatus enim tot litteratorum virorum exemplis, ita ad omnem eruditionem ſe contulit, ut excellentiores, quos adæquabat ingenio, etiam doctrina ſuperare contenderet. Sed ab initio eſt exordiendum. Callii, quæ ejuſdem ditionis eſt civitas, in Latinis Græciſque inſtitutionibus audiit præſtantiſſimum præceptorem, qui jampridem in hujuſmodi diſciplinis inſtitutus a Manutiis, & Mureto fuerat, viris (quod nemo ignorat) in utraque lingua præcellentiſſimis. Ita-
que

que venuſtatem illam, concinnumque in ſcribendo leporem, quem ex tam præclaris doctoribus Magiſter hauſerat, idem cum Fabretto communicans brevi adoleſcentulum ad veterum Latinorum, Græcorumque ſcriptorum normam ita exegit, ut jam tum Fabretti nomen, quemadmodum Ægidius Menagius prodidit, non intra Italiæ fines tantum, ſed etiam Italiam ipſam, tranſque Alpes potiſſimum celebre eſſet. Quod eo pluris faciendum duco, quod gentes illæ tunc falſo perſuaſum habebant, puram putamque illam, quam vocant, elegantiam, quæ multos annos ante in Italia viguerat, Italos averſatam apud ſe domicilium conſtituiſſe. Exacto humaniorum litterarum curriculo, atque Urbinum reverſus, totum ſe ad utriuſque Juris ſcientiam adjecit, quarum facultatum lauream accepit nondum duodevigeſimo anno ætatis expleto. Neque vero, ea parta, perinde ac ſi ad ſapientiæ metam perveniſſet, ab inſtituto curſu conquievit. Etenim non ignorabat ſe ea, quam hactenus in ſtudiis adhibuerat, contentione, vix dum doctrinæ tyroci-

nia

nia posuisse, simulque illud intelligebat, nequaquam doctum hominem eum esse putandum, qui doctoris nomen tantummodo sit assecutus. Igitur cum non vulgare aliquid agitaret animo, quo facilius quæ meditaretur ad exitum perduceret, Romam se contulit. Commorabatur ea in urbe Stephanus frater ejus natu major, vir humani divinique Juris peritissimus, cujus tunc magnum nomen erat in foro. Itaque in ejus disciplinam Raphael se tradens, & ingenii præstantia, & scribendi exercitatione eo evasit, ut brevi tempore illustraretur. Erat jam tum Fabretto in deliciis antiquitatis cognitio, eamque scientiam ita præ ceteris adamarat, ut pene hac una delectari videretur. Itaque quidquid otii ex severioribus disciplinis sibi reliquum esset, id totum aut veterum historiis perlegendis, aut antiquioribus monumentis investigandis tribuebat. Sed de hujusmodi studiis, in quibus præcipuam vitæ suæ partem Fabrettus insumpsit, separatim scribendum erit, postquam de honorum decursu dixerimus, ne aut hanc vitæ partem ommit-

mittendo ea , quæ Fabretto præcipue laudi ſunt, negligere videamur, aut illa iis interſerendo , hiſtoriæ perſpicuitati , cui potiſſimum ſtudere debemus, minus conſuluiſſe arguamur . Neque ſane laus una Fabretti fuit doctrinarum cognitione præſtare, ſed quod præcipuum eſt , ſummam doctrinam cum ſumma prudentiæ & dexteritatis laude conjunxit, quæ ſane conjunctio cum ſingularis eſſet, ſummam ei apud principes viros & exiſtimationem , & auctoritatem ſtatim conciliavit. Itaque cum in Hiſpaniam ad res difficillimas componendas aliquis Roma mittendus eſſet , qui & ſagacitate , & conſilio plurimum poſſet, Fabrettus unus idoneus eſt viſus , cui potiſſimum hæc tanta provincia demandaretur . Itaque a Laurentio Imperiali Cardinali , cujus res agebatur , in Hiſpaniam miſſus, difficillimo munere tanta felicitate perfunctus eſt , ut , quod vix ſperari poſſe videbatur , rebus omnibus ſine ulla controverſia compoſitis , Romam redierit . Cujus ſane rei non exiguum præmium tulit. Nam Alexander VII. cum hominis pruden-

dentiam remunerari cuperet, paullo post Fabrettum Hispaniensis Legationis ærario præposuit. Quod munus cum caste integreque aliquot annos administrasset, ab eodem Pontifice legationis ejusdem Assessor factus est, in qua etiam procuratione & maximam sibi consilii laudem peperit, & simul ostendit de integritate & prudentia sua in utriusque muneris delatione optime a P. M. fuisse judicatum. Tredecim post annos Romam ex Hispania reversus Appellationum Judex in Capitolio constituitur: grave sane munus ac difficile, cujus in administratione eximia quædam æquitas, & Juris peritia requirebantur. In quo tamen munere ita se gessit, ut neminem læserit, omnibus satisfecerit, nullam officii partem prætermiserit. Atque hic sane illud mirari subit in hoc viro, in tanta nimirum ac tam varia rerum procuratione, fuisse versatum, & ejus operam nemini non fuisse probatam; quod certissimum indicium est & summæ in agendo prudentiæ, & miræ cujusdam in expediendis transigendisque negotiis ac felicissimæ dexteritatis. Itaque, quod

sin-

ſingularis ejus virtus certatim expetebatur ab omnibus, non multum interceſſit temporis, cum ei Urbinum una cum Carolo Cerrio Cardinali Urbini Legato commigrandum fuit. Is cum plurimum æquitati & doctrinæ Fabretti confideret, eum ſibi adeſſe voluit, & Legationis, ut vocant, Auditorem conſtituit, ſupra quem ferme totum Legationis ipſius onus incumbit. Tulit hoc onus non gravate Fabrettus, operamque ſuam & Legato præſtitit, & Patriæ detulit. Quo tempore res domeſticas etiam curare non neglexit; & cum patrias opes valde attritas procuratorum negligentia offendiſſet, eas reſtituere, quoad potuit, conatus eſt. Opportunum ad hoc ſubſidium contulit pecunia, quam bonis quæſitam artibus ſecum ab Hiſpania detulerat. Triennio Urbini peracto, ei non, ut optabat, otioſo eſſe licuit, quo ſuis ſtudiis liberius obſequeretur. Nam Romam reverſus ſtatim a Gaſpare de Carpineo Cardinali Innocentii XI. P. M. Vicario, cui jamdudum eximia Fabretti eruditio atque prudentia perſpecta eſſet, iis de more examinandis, qui in Clerum cooptandi

di essent, præficitur. Cum vero non minus doctrina, quam eleganti quodam scribendi genere valeret plurimum, dignus plane habitus est, qui ab eodem conscribendis Pontificiis decretis eligeretur. Demortuo Innoc. XI. Alexander successit VIII. qui cum viri virtutem probe cognitam atque exploratam haberet, ei libellorum supplicum curam commisit, eumque primum S. Mariæ Transtiberim, deinde multo amplissimo Basilicæ Vaticanæ Canonicatu & ditavit & honestavit, tum & sacrorum Cœmeteriorum Præfecturam, qua unice ille delectatus est, adjunxit. Hanc quemadmodum Fabrettus exercuerit, tunc dicemus, cum de ejus studiis erit scribendum, cum quibus mirifice hujusmodi procuratio congruebat. Multum apud Alexandrum Pontificem gratia valuit Fabrettus: nam & eum sibi adesse volebat in magnis rebus, & hominis auctoritate multum movebatur. Multa etiam, eo consulto, & præclara & toti Christiano orbi salutaria constituebat. Juvit etiam eundem Pontificem in Alsietinæ aquæ ductuum restauratione, ejusque extat

tat

tat inſcriptio celeberrimo Pauli V. monumento adjecta, quæ & id ipſum, quod ſcribimus, docet, & ejus ſummam in conficiendo hoc epigrammatum genere ſcientiam oſtendit. Cuſa etiam hoc tempore numiſmata ad formam a Fabretto ſumma elegantia excogitatam, quibus nihil unquam poſt auream illam Auguſti ætatem Romæ elegantius viſum fuerat: ita vero ſcripta, ut ipſam temporum illorum venuſtatem dignitatemque prorſus referrent. Parva quidem hæc res eſt, ſi cum majoris momenti rebus comparetur; ſed certe non contemnenda. Reſidet enim in numiſmatis affabre cuſis neſcio quomodo dignitas quædam atque amplitudo Imperii. Neque vero Innocentii XII. qui Alexandro ſuffectus eſt, minor in eum benevolentia fuit. Hic enim cum parem Deceſſori ſuo de Fabretto exiſtimationem haberet, multumque ejus prudentiæ integritatique confideret, non ſolum ejus conſiliis uſus eſt, ejuſque ſapientiam maximi ſemper fecit, verum etiam eundem multis honeſtavit muneribus; inter quæ illud præcipuum, quod ejus fidei Ponti-

ficium

ficium tabularium credidit, quod in Hadriana mole summa diligentia custoditur; cujus sane cura nemini unquam committitur nisi illi, cujus vigilantia atque fides omnibus sit plane perspecta. Nam & scriptorum copia & eorundem æstimatione tabularium hoc ceteris omnibus, quæ in Urbe asservantur, longe præstat. Supervacaneum hic est exponere, quomodo se hoc in munere gesserit Fabrettus, qui in omnibus, quæ hactenus persecuti sumus, tantis tamque diversis muneribus non modo eorum, qui sibi ea demandarunt expectationem semper expleverit, verum etiam cumulaverit. Atque ex his, quæ hactenus scripta sunt, nemini dubium esse potest, quin Fabrettus vir fuerit summa prudentiæ, dexteritatis, ingenii laude commendatissimus, idemque ad omnia pene (quod rarum omnino est ac singulare) a natura comparatus. Hæc præcipue fuerunt munera, quibus præclarissimus vir functus est, ampliora certe consecuturus; nisi litterarum amor, quibus unice delectabatur, ab honorum cupiditate hominem semper abstraxisset, eumque ab omni

ni prorſus dignitatum petitione revocaſſet. Atque hæc de honoribus, quibus honeſtatus Fabrettus, tantam ſibi & prudentiæ, & æquitatis famam peperit. Nunc aliqua de ejus ſtudiis attingenda, quibus ille tantam doctrinæ atque ingenii laudem conſecutus eſt. Delectabatur ille, quemadmodum ſupra dictum eſt, antiquitatis cognitione, eamque ſcientiam non ſolum adamarat, verum etiam præ ceteris excolendam ſuſceperat: quo etiam libentius Romam in adoleſcentia ſua ſibi eundum putavit. Videbat enim ſtudioſiſſimus adoleſcens tam multa commoda ad hanc cognitionem aſſequendam illam urbem omnibus ſuppeditare, ut qui diutius ibi commoraretur, eaque ſolum, quæ vulgo occurrunt, curioſius inveſtigare vellet, haud multo ſane labore, dum graviores facultates addiſceret, hac etiam ſcientia erudiri poſſet. Igitur, ut Romam venit, ita ibi verſari incœpit, ut nihil, quod cognitione dignum eſſet, arripere prætermiſerit. Antiquitatum ſcriptores quotquot ea tempeſtate celebrabantur omnes collegerat, eoſque lectitabat aſſidue; eruditorum

rum hominum, quorum multos ſibi paraverat, conſuetudine utebatur, eoſque colebat diligentiſſime; quidquid autem Romæ antiquum eſſet perſcrutabatur ſolerter, idque tanta diligentia ſcriptis mandabat, ut nihil accuratius fieri poſſe videretur. Quo factum eſt, ut tam multa in ipſa adoleſcentia cognoverit, ut jam tum opera illa inſtituere aggrederetur, quæ deinde ab eodem, tempore progrediente, confecta litterariæ Reipublicæ tanto cum uſui, tum ornamento fuere. Neque ab hac vivendi ratione, quam Romæ privatus tenuit, in Hiſpanienſi Legatione, dum Reipublicæ operam daret, receſſit. Ibi enim Latinis Græciſque Scriptoribus perlegendis totum ſe tradidit: quod ſane ei ſummo fuit adjumento. Hac una enim legendi exercitatione tam multa didicit, ut in hac facultate, quemadmodum ipſe fatebatur deinde, vix ſibi ab eo tempore aliquid ita novum occurrerit, quod non ipſe aut jampridem exploratum haberet, aut non ſtatim conjectando facile aſſequi poſſet. Hic etiam veterum Romanorum monumenta, quorum non pau-

pauca in Hiſpania ſuperſunt, ſedulo inveſtigavit, nihilque negligens exſcribere prætermiſit quod ſibi animadvertendum eſſe arbitraretur; id autem ſi minus per ſe poſſet, per amicos aſſequebatur. Atque hæc laus fuit Fabretti præcipua. Etenim dum vixit, quidquid rarioris vidit, id totum ſcriptis tradidit, idque (quod pluris in hac re faciendum puto) adeo accurate, ut quidquid ab eo aut exſcriptum, aut delineatum ſit, id exemplaribus ſuis mirifice reſpondeat. Hoc ille præſertim præſtitit, cum Romam rediens, & a Carolo Cardinali Bonello Legato, qui ex Hiſpania decedebat, in itineris ſocietatem acceptus una cum eo nobiliores Europæ urbes obivit. Tunc enim diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator occaſione arrepta, quam commodiorem offerri ſibi amplius poſſe deſperabat, vetera monumenta omnia, quæ in Europæ ac præſertim in Italiæ urbibus, vicis, viis ſuperſunt, ſagaciſſime perluſtravit, multaque deſcripſit, quæ ſibi deinde magno uſui, atque adjumento fuiſſe teſtatus eſt. Hanc ille vivendi rationem tenuit dum Ro-

ma abfuit, seu potius dum in Hispania est commoratus. Nam Urbini quamdiu Legationis Auditor fuit, partim propter assidua illius provinciæ negotia, cujus procuratio in eo potissimum nitebatur, partim quod familiæ suæ (quemadmodum supra dictum est) commodis consulere deberet, vix aliquid otii ad hæc studia recolenda ipsi reliquum fuit. Itaque tum publicam, tum domesticam rem suis studiis anteferens parumper ea sibi intermittenda arbitratus est. Quo factum fuit, ut & provinciam illam summa cum vigilantiæ laude administraret, & domesticas fortunas multum auctas relinqueret. Atque hæc omnia, quæ de Fabretti studiis hactenus dicta sunt, accuratiori diligentia exponere voluimus, ut omnes intelligant, non immerito eruditissimos homines, quotquot aut per eadem tempora, aut consequentibus deinde annis floruerunt, omnes Fabretti opera uno ore tantis laudibus extulisse, eundemque omnium sui temporis antiquitatis consultissimum existimasse. Neque enim ab homine, qui ab ipso ætatis initio totum ad hæc stu-

dia

dia se adiecerat, eaque deinde tanta diligentia ac labore excoluerat, tam multa viderat, tam multa legerat, aliquid proficisci poterat, quod non in suo genere perfectum esset, simulque doctorum omnium admirationem in se converteret; præsertim cum is & ingenio acerrimo, & (quod potissimum ad hæc studia quæri solet) memoriæ facultate prorsus singulari uteretur. Certe Scipio Maffejus vir omnium doctrinarum laude clarissimus in suis operibus, quibus tantam eruditionis famam apud omnes gentes sibi comparavit, ut Fabretti mentio incidit, sæpius hujus sapientissimi viri studia, eruditionemque maximis laudibus extollit, eundemque antiquitatis cognitione ceteris omnibus præstitisse affirmat, utpotequi plura solus exscripserit, plura congesserit, plura explicaverit, quam ceteri unquam aut legere aut investigare potuerunt; cujus ea fuit in dijudicando sagacitas, ut pene nunquam falleretur, ea rerum omnium antiquarum peritia, ut quidquid ab eo hoc in genere prolatum sit, id & maximam auctoritatem ha-
 beat,

beat, & ceterorum omnium opinionibus jure sit anteponendum. Idem testatus est Janus Vincentius Gravina, qui in eo libro, quem de originibus juris civilis scripsit, nihil certi de celeberrimo illo Legis Regiæ fragmento, quod in arce Capitolina custoditur, sibi constituendum esse arbitratus est, nisi ante per epistolam Fabrettum Romanæ antiquitatis oraculum (sic enim eum vocat) consuleret: cujus mox sententiæ ita acquievit, ut, omni illico deposita formidine, monumentum illud contra nonnullorum opinionem, qui ipsum in suspicionem vocaverant, & sincerum esse dixerit, & luculenter illustrarit. Extant in eo libro tum Gravinæ, tum Fabretti epistolæ summo lepore conscriptæ. Sed jam de ætate illa aliquid dicendum, quam Romæ transegit, postquam illuc a Gaspare de Carpineo Cardinali Innocentii XI. Pontificis Maximi Vicario in urbe gerente, ex Urbini procuratione evocatus, præter cetera munera, de quibus supra diximus, sibi demandata, sacrorum etiam cœmeteriorum curam suscepit. Ex quo sane munere tantam volupta-

tatem Fabrettus cepit, quantam ex ceterorum omnium procuratione nunquam antea expertum se esse fateretur. Hoc sane & cum ingenio suo mirifice congruere videbat, & ad antiquitatem studiosius investigandam incredibilem opportunitatem offerre cognoscebat. Nihil autem cum studiis antiquitatis conjunctius quam hæc ipsa cœmeteriorum procuratio, quibus cum pauca vix alia monumenta de antiquitate, nulla certe de dignitate ac religione contendunt. Horum si quis accuratam descriptionem cupiat, Antonium Bosium consulat, qui iis de cœmeteriis omnium accuratissime scripsit. Hæc ipsa loca lustravit Hieronymus, adolescens Romæ cum esset, & Donato præceptore Rhetoricæ operam daret, eorumque exactam in suis operibus descriptionem reliquit. Hæc igitur caussa fuit, cur Fabrettus tantam ex hujus muneris procuratione voluptatem experiretur. Neque vero impar voluptati fructus respondit. Etenim & veteribus monumentis, quibus ea loca præcipue abundant, effodiendis, & intimis terræ partibus assidue perscrutan-

dis non modo pulcherrimis cognitionibus auctus est, verum etiam rara multa atque singularia deprehendit, quibus deinde tanta historiæ lux est allata, quod cum ex ejus operibus universis, tum præcipue ex inscriptionum libro cognoscimus. In eo enim plusquam cccc. vetera monumenta expressa exhibentur pene omnia ab eodem ex sacris cœmeteriis effossa, quorum cum nullum vulgare sit, tum multa adeo sunt singularia, ut inter antiquitatis præclarissima recenseantur. Cœmeteriorum curam per triennium exercuit, monumentisque omnibus quæ hinc effoderat, facta a Cardinali de Carpineo potestate, potitus est; hanc vero collectionem auxit deinde partim industria sua, partim amicorum liberalitate, multa etiam sibi pecunia comparavit, ac tum præsertim cum Latium omne obire est aggressus. Qua in Latii perlustratione, quid antiquitatis cognoscendæ cupido possit est animadversum. Etenim hac una abreptus ita itinera omnia peragebat, ut solus equo fidens nec frigoris rigore, nec solis ardoribus, nec viarum asperitate,

nec

nec imbrium sæpe decidentium copia deterreretur, quominus loca Latii universa circumiret, oppida, vicos, vias investigaret; circos, theatra, fana, reliquias denique antiquitatis omnes diligentissime persequeretur; inscripta marmora, si minus aut coemendi, aut asportandi copia fieret, diligenter exscriberet; singula vero tanta cura delinearet, ut vix a perito geometra accuratius fieri potuerit. Atque in hac peregrinatione ita hominem nunquam ardor animi defecit, ut audacior etiam, quam consueverat, sæpe visus sit. Neque enim ille abditissimos nemorum recessus adire, invias montium latebras penetrare tantummodo audebat, verum etiam inaccessas rupium altitudines, immanesque ruderum moles conscendere, atque intima terræ loca pervadens pene collabentes fornices subire, atque in iis summo cum periculo diu multumque delitescere. Hinc factum est, ut omnes Latii partes penitus exploratas haberet, ipsumque Latium scriptis illustrare aggrederetur. Hoc tamen opus, cujus incredibilis expectatio in litteraria Re-

pu-

publica fuerat excitata, fruſtra ab eruditis viris deſideratum eſt. Etenim, quod morte interceptus ſupremam ei manum non potuit Fabrettus imponere, opus apud heredes delituit, neque unquam publici juris eſt factum. Neque hic illud prætereundum, quod idem de equo illo ſuo narrare ſolebat, quo vectus Latii partes omnes circumivit. Aſſuetus enim ille heri juſſu conſiſtere ubicunque aliquid appareret, quod antiquum videretur, longo uſu edoctus nihil jam animadvertendum occurrebat, de quo non is ſtatim ultro conſiſtens dominum moneret; illudque addit, multa, quæ certe imprudens præteriiſſet, equo monitore ſe detexiſſe. Hinc vectorem hunc ſuum eruditum vocare, de litteraria Republica benemeritum, antiquarium extra muros, cui ita antiqua omnia ſubolerent, ut quemadmodum canis venaticus feras, ita ille monumenta vetera odoraretur. Hæc cum jocans Fabrettus amicis ſuis ſignificaſſet, cumque ab iiſdem Marco Polo celeberrimo illi viro, qui totum pene orbem peragravit, equus aſſimilaretur, eodemque nomine per jo-

jocum vocitaretur, hac de re epiſtolam, idem vernaculo ſermone conſcripſit, quæ venuſtate ac lepore ſuo maximis laudibus celebrata eſt. Sed quod Latii veteris opus neque ab eo, neque ab heredibus unquam palam factum fuerit, non idcirco nihil extat memoriæ proditum, ex quo Fabrettum hominem illius provinciæ peritiſſimum cognoſcamus. Nam poſt ejus mortem & a Sociis Academiæ Cortonenſis Latii Kirkeriani emendatio eſt edita ab eodem Italico ſermone ſumma eruditione conſcripta, & opus illud de Aquis & Aquæductibus celeberrimum, memoriæ proditum, in quo certe oſtendit, partem Latii eſſe nullam, quam is non diligentiſſime perluſtraverit, viam, monumentumque nullum, quod non ſagaciſſime ſit perſecutus. Atque ut ne de tam præclaro opere una mentio fiat, gratum me lectori facturum exiſtimo, ſi per ſumma capita breviter hujuſce libri ordinem atque rationem expediam. Tres igitur diſſertationes, ut vocat, hoc opus complectitur, quarum prima, quam Lucio Traguri enſi inſcribit, contendit

dit auctor, Alexandrinam aquam, de cujus origine vehementer inter se scriptores dissentiunt, ex quodam loco derivari, qui prope fluvii Osæ caput cernitur in ea via, quæ in bivium desinens Roma proficiscentes hinc Præneste, inde Labicum perducit. Addit etiam arcuatum opus illud cujus adhuc plurima rudera passim per Romanum agrum dispersa conspiciuntur, quæ multarum aquarum ductus fuisse ad ea usque tempora eruditi existimaverant, hoc unam Alexandrinam aquam Romam induxisse. Affert etiam tabulam sepulcri, quod Alexandro Severo prope hujus aquæ fontes fuit constitutum; ex quo etiam eruit, eam aquam illam esse, quam in balneorum usum idem Imperator Romam deducens Alexandrinam de suo nomine nominari jussit. In altera vero dissertatione fontes ostendit, unde aquæ Marcia & Claudia deducebantur, viamque illam, per quam Roma & Tibure proficiscentibus, Valeriam vetus Latii oppidum iter erat; tum veterem semitam demonstrat, per quam ex Valeria via Sublacum divertebatur. Hanc ille dissertationem

Car-

Cardinali Gaſpari de Carpineo inſcripſit, viro temporibus illis cum litteratorum omnium, tum Fabretti in primis Patrono eximio. Tertia denique ceterarum aquarum, quas viginti apud veteres fuiſſe compertum eſt, & fontes perſequitur, & ductus exhibet; ibique, oblata occaſione, de viis antiquis loquitur, earumque ſitum atque amplitudinem ſolertiſſime inveſtigat atque patefacit. Hac ille diſſertatione Julium Montevecchium alloquitur, quem amicorum omnium dicit antiquiſſimum. Hoc ſane opus, quo nihil ad Frontinum illuſtrandum accommodatius, ut primum ab eruditis hominibus tam in Italia, quam extra Italiam perlectum eſt, tantam ſtatim Fabretto eruditionis famam conciliavit, ut nemo ex eo tempore antiquitatis amator Romam venerit, qui non Fabrettum inviſeret, cumque eo amicitiam inire ſtuderet. Verum hujuſmodi opus, quod tantam Fabretto laudem pepèrit, idem ipſi moleſtiarum maximarum origo, contentionumque graviſſimarum cauſſa extitit. Cum enim in eo libro Jacobi Gronovii ſententiam de ve-

teris Algidi, viæque Latinæ situ Fabrettus exagitasset, cumque ab eodem perperam Livium multis in locis emendatum esse dixisset, adeo in se hominis furorem convertit, ut nihil contumeliarum sit, quo non ab eodem fuerit appetitus. Etenim libro statim edito, quem *Responsiones ad Raphaelis Fabretti cavillationes* injuriosius inscripsit, ita in adversarium invectus est suum, ut hominem ad alterum opus conscribendum impulerit, in quo nescio utrum magis maledictorum acerbitatem vituperare, an eruditionis copiam demirari debeam. Sed operæ pretium est libri ordinem subtexere, ne cum de doctissimis viris scribimus, strictim nimis quæ utiliora sunt exponere videamur. Reprehendit primo Fabrettus in hoc libro Gronovium, quod temere multa Livii loca emendanda curaverit, & eum locum præsertim libri XXVI. ubi Livius Annibalem Capua iter Romam facientem describens ait: *inde Algido Tusculum petit*, quem locum Gronovius sic emendandum putat: *inde ab Pedo Tusculum petit*: Quod Fabrettus prave factum, permultis Li-

vii

vii ipſius teſtimoniis allatis, conatur evincere. Idem deinde oſtendit, quam multa in geographicis Gronovius peccaverit, utpotequi in locis Tuſculo vicinis dimidiam noctis hiemalis partem integra nocte æſtiva longiorem fuiſſe putaverit: Arvernos Galliæ populos ultra Garumnam a Maſſilia conſtituerit: Tempe Theſſalica aprica nominaverit, quæ tamen opaca umbroſa a poetis deſcribuntur. Tum controverſiam aggreditur, quæ inter utrumque de ſitu Algidi, ac viæ Latinæ exorta erat. Contendebat Gronovius, multa ex Livio afferens, agri Tuſculani limites Lavicanis conterminos eſſe, ideoque ajebat veriſimile ſibi nequaquam videri, Annibalem, flexo itinere, Algidum ſuperaſſe, cum ex Lavicano in Tuſculanum agrum progrederetur: Quod ſane Fabrettus, iis ipſis, quæ pro ſe Gronovius affert, teſtimoniis contra eundem adhibitis, nequaquam ita ſe habere, ut ille contendit, demonſtrat. Multis ſubinde aliis ad hanc rem illuſtrandam adjectis, de Latina, ac Lavicana via ſermonem inſtituit, eamque illa nequaquam longiorem eſſe contendit. Tum Si-

lio

lio Italico a Gronovii cenſuris vindicato, Tuſculi ſitum ſupra montis cacumen contra Holſtenii opinionem collocat, eumque verum Tuſculi ſitum fuiſſe cum ex ipſa loci natura, atque ejuſdem urbis veſtigiis adhuc ſupra collem exiſtentibus evincit, tum ex veterum ſententiis, ac præcipue ex nummo quodam antiquo, in quo Tuſculum expreſſum exhibetur. Idem huic libro Latii veteris tabulam topographicam adjecit, quam tamen deinde, quod in eam aliqua imprudenter irrepſerant (erraverat nimirum Fabrettus in certo definiendo loco, quo viæ tres Latina, Lavicana, Præneſtina in unum coeunt) cum alia exactius elaborata commutavit; quod Cajetanus Marinius, vir eruditiſſimus, a quo mihi multa ad Fabrettum pertinentia ſuppeditata fuere, ſe pluribus in libris animadvertiſſe teſtatus eſt. Edidit Fabrettus hoc *Apologema*, ſic enim hunc ille librum inſcripſit, Arcadico nomine ſuppoſito, idemque licet Neapolitanos Typographos præferat, editum tamen Romæ fuit, iiſdemque formis, quibus alia ejuſdem opera impreſſa fuere.

Hujus

Hujus opinionibus universa litteratorum respublica statim adstipulata est ; ipsique Batavi, a quibus Gronovii defensio suscipienda videbatur, litteras Fabretto miserunt gratulationum plenas, quod impudentem adversarii sui fastum contudisset, susceptisque partibus tam cumulate satisfecisset. Ceterum quantopere ab insana hac ultro maledicendi licentia Fabrettus abhorreret, cum multa ejus vitæ facta satis ostendunt, tum illud præcipue, quod in ejus operibus animadvertimus, in quibus cum multorum opiniones refellere, multis refragari, multos corrigere debeat, ita semper moderate se gerit, ut, nisi si quando ipsa rerum indignitas postulet, animadversiones suas cum laude potius adversarii conjungat, quam ullam verborum acerbitatem præferre patiatur. Multa sane hic proferre possem temperantiæ hujusce suæ documenta ; unum tamen sit instar omnium, quod memini me apud eum legisse in eo libro, quem de Aquis & Aquæductibus scripsit. Hic enim cum Athanasio Kirkerio, Societatis nostræ viro cum astronomiæ,

tum antiquitatis peritissimo, sibi nescio qua in re contradicendum esset, quam diligentius investigando secus se habere cognoverat; mirari se negat, hominem in cælestium, atque incorporearum rerum contemplatione occupatum, earumque pulchritudine abreptum ad hæc infirma & terrena, atque adeo infra terram ipsam posita se demittere noluisse. Quod cum haud mediocrem Kirkerii laudem continet, tum Fabretti mirificam in scribendo temperantiam, atque adeo comitatem ostendit. Atque hoc sane alterum doctissimi viri opus est, ex quo ille Romani Agri peritissimus agnosci potest, ita ut addubitandum subeat, an is de regionis illius explicatione, quam tanto studio susceperat, conficienda minus sollicitus fuerit, quod præclariora illa, quæ de Latio collecta haberet, sibi jampridem in hisce libris fuerint exposita. Sed ad reliqua ejus ingenii atque doctrinæ monumenta progrediamur. Idem etiam de Nervæ Trajani Imperatoris columna Syntagma edidit, quod opus omnino singulare est, tum quod multa complectitur, tum

etiam

etiam quia ita de his omnibus differit, ut nihil magis enucleate, aut exquifite fieri poffit. Hunc ille librum fcripfit, ut Alphonfum Ciacconium Hifpanum, qui prior ejufdem columnæ explicationem confecerat, a Joannis Petri Bellorii cenfuris vindicaret; fimulque, fi quid ab eodem Ciacconio in hujus præclariffimi monumenti explicatione peccatum effet, emendaret. Inter autem omnia, quæ apud eruditos viros maximam admirationem excitarunt, ea nimirum funt, quæ ibi, oblata occafione, de navium veterum infignibus, de tutelis, de ordinibus remorum, & de claffiariis exponit, de quibus pauca admodum ante Fabrettum noveramus. Quæ fane quicunque legat, quæ hominis fuerit conjectandi vis, quæ dijudicandi felicitas, quæ denique rerum omnium peritia cognofcet ac demirabitur. De militia autem Romana in eodem libro fic loquitur, ut nemo melius: item de facrificiis veterum, eorumque cæremoniis, de Veftalibus, earumque tonfura, de machinis poliorceticis, de fpeculatoribus, de medicis caftrenfibus, de amictu, & pellibus, de ceftuum figura egregie dif-

differit. Addit etiam ibidem de columnæ Trajanæ anaglypho nonnulla, quæ Ciacconii, Belloriique diligentiam fugere: tum ex lapidum inſcriptionibus, atque ex nummis antiquis gemini Dacici belli a Trajano confecti chronologicam contexit hiſtoriam, atque horum monumentorum, quæ vera habenda ſint, quæ falſa ac ſuppoſita judicanda, callidiſſime diſquirit. Multis aliis deinde digreſſionibus hoc ille opus diſtinguit, quæ ſane ad antiquitatis monumenta rite dignoſcenda maximam lucem præbent. Egregio huic operi duo alia adnectit, quæ etiam plane ſingularia ſunt: quorum primum veteris tabulæ anaglyphicæ Homeri Iliadem, atque ex Steſichoro Arctino ac Leſche Ilii exſcidium exhibentis explicationem continet, eique tabula æri inciſa præfigitur; alterum lacus Fucini emiſſarium a Claudio Imperatore, maximis ſumptibus excavatum luculenter deſcribit. Hos etiam libros univerſa litteratorum virorum reſpublica magno plauſu excepit, magnique ſemper habuit, iique apud poſteriores antiquitatum ſcriptores ſæpius ſumma

ma cum Fabretti laude celebrati inveniuntur. Nihil enim in illis est, quod non maximum hominis ingenium eruditionemque commendet. Neque vero hic laboribus suis finem imposuit Fabrettus: inscriptiones enim omnes, quas partim exscribendo, partim coemendo collegerat, eas in unum volumen ordinatim redigere atque explicare est aggressus. Quam sane collectionem ita semper ante oculos habuit, ut hæc in omni vita unice ei cordi esset. Itaque quidquid animadvertebat, quidquid exscribebat, quidquid legebat, eo semper spectare videbatur, ut & rerum novarum copia, & perspicua ipsarum disponendarum atque explanandarum ratione opus omnino rarum ac singulare existeret. Nec successu caruit res: opus enim & omnium expectationi egregie respondit, & ceterorum omnium, quæ Fabrettus ante ipsum ediderat, præclarissimum habitum est. Et sane id illo egregio hoc opere est assecutus, ut veterum inscriptionum cognitio, quam antea nonnisi difficulter ac temere assequi poteramus, ea nunc & facile & ordina-

tim haud ita magno labore ab unoquoque comparari possit. Quam ob rem multum huic litteratorum rempublicam debere nemo est qui non fateatur. Sed, qui sit hujus operis ordo, persequamur; de cujus ratione nisi aliqua docuerimus, multa sane atque præclara erunt, quæ de eruditissimo hoc homine prorsus ignorabuntur. Neque enim Fabrettus ita de unaquaque re scripsit, ut in ejus unius disquisitione in universo opere semper immoratus sit, sed multa ex occasione ibidem varia ac singularia interseruit ad alias omnino res pertinentia, quæ sane, dum de ejus libris loquimur, a cetero opere omnino sunt distinguenda, ne, quæ præcipua hujus operis ornamenta sunt, aut ignorare, aut reticere videamur. Sed ad propositum redeamus. Inscriptionum opus ad classes quasdam redigit, easque ita in unaquaque classe recenset, ut altera alteri lumen afferat. Exhibet ille primum earum aliquam, quæ apud se asservantur, eamque a ceteris & Romanorum numerorum nota, & lineis circumquaque obeuntibus distinguit. Adjicit deinde ad eam illu-

illustrandam alias permultas, quas aut ipse per se legerat, aut ex schedis Barberinis collectas habebat, quas inter omnes, illud mirum, pene nullam occurrere, quæ aut vulgaris sit, aut non maximo adjumento ad veterum tum Ethnicorum, tum Christianorum ritus cognoscendos esse possit. In paginæ vero calce animadversiones idem apponit suas; atque iis perpetuo sermone Gasparem Fabret. tum fratris filium instituit. Explicat ille primo tabellas illas, seu titulos, qui ollis cinerariis inscripti contractas nominum notas exhibebant; eosque negligi debere negat, cum ex iis præcipue tum ollarum ipsarum ratio, tum prænominum notitia peti possit. Tum de columbariis sive loculis illis loquitur, in quibus a veteribus ollæ cinerariæ condebantur, atque opinionem Reinesii refellit, qui columbaria ad loci locationem pertinere putarit, in quo columbæ alerentur. Multis deinde ad eandem rem pertinentibus adjectis, uno inscriptionum subsidio contra Alexandrum ab Alexandro evincit, tam cremandi, quam humandi ritum ita apud veteres invaluisse, ut

 non

non lege aliqua conſtitutus, verum ſola conſuetudine in more poſitus eſſet; contenditque, quæ corpora prius humi condebantur, crebrius poſthac a veteribus cremari conſueſſe, eamque conſuetudinem uſque ad Theodoſii Magni tempora permanſiſſe. Horum autem columbariorum ac titulorum exhibet ille ibidem figuras diligenter expreſſas. Mox de operculis diſſerens, quibus eædem cinerariæ urnæ contegebantur, oſtendit horum foramina recipiendis parentum & conjugum lacrimis in primis inſerviſſe, ac de mortuorum Manibus ibidem multa diſſerit, quæ ab antiquitatis amatoribus omnino perlegenda ſunt. Monumenta deinde illa exponit, in quibus mutui parentum, conjugum, atque filiorum affectus exprimuntur, ibique, occaſione arrepta, de cohortibus prætorianis multa inſerit, earumque numerum pro temporum varietate accurate recenſet. Affert deinde vetuſtiſſimum orationis fragmentum, quod e muſeo Carpineo depromit, ejuſque partem conjectura quadam ſupplere ſtudet, clariſſimamque Helvidiorum ſtirpem inde a Cecinna

cinna Peto, atque Arria accurata ſerie mirabiliter deducit. Multa etiam de ratione Aſciæ exponit, quæ ſummo incisa lapide eruditorum conjecturas in diverſa ſtudia diſtraxit; multa de Teſtacei collis origine, de quo nemo veterum locutus eſt ante Sextum Aurelium Victorem, & Scriptorem notitiæ Imperii, qui collem hunc Dolioli nomine a veteribus nuncupatum memorant. Progreditur deinde ad explanandas inſcriptiones eas, quæ conjugum affectus exhibent, oſtenditque ibidem, nullam apud veteres inſcriptionem hujuſmodi fuiſſe, quæ non hyperbolica ſit; multaque ſimul inſerit de Vigilum militia, eorumque cohortibus, de Vicariis, de Conjugibus virginiis ſeu univiris, ac de iis, in quorum vita obituque annorum, menſium, dierumque numerus exæquatus eſt. Inſcriptiones itidem nonnullas profert canibus atque aviculis appoſitas, inter quas ſingulare omnino eſt Luciniæ epitaphium, quod in antiquo vaſe perexiguis litteris inſcriptum legitur. Loquitur deinde de iis, quæ invicem ſibi ſervi, domini, atque amici ſepulcris inſcripſere, in quo capite de Equiti-

bus

bus Singularibus , de Castris Prioribus , de Octoviris ac Seviris Augustalibus , aliisque equestri militiæ cognitis multa eruditissime persequitur , iisque nonnulla etiam de viis Latina, Lavicana , Prænestina adjicit . Post hæc ad Sacra, Ministrosque Sacrorum procedens lapides edit Ægyptia superstitione imbutos, horumque Romæ duos, tertium Urbini inventos; postque illos Græcum Horophili epithaphium elegantia non minus, quam pergrata simplicitate singulare. Tum Bacchanalium originem ex Livio repetit; atque S. C. ab eodem Historico cap. XVIII. libri XXXIX. paucis comprehensum perantiquo illustrat monumento, Posthumio Consule, priscoque scribendi more exarato, atque in tabula ærea inciso, quod ex illa exceptum Augustinus Scilla pictor Messanensis Fabretto tradiderat. Sermonem deinde de Accensis instituit, quæque de iis a Salmasio dicta sunt per summa capita expendens aut reprobat, aut confirmat. Addit nonnulla de nominibus novorum civium, de Dea Feronia ejusque fano, de Concordiæ, Victimariorumque collegio, de templo a Lucullo Feli-

citati

citati constituto, de Osiride, ac Serapide, quæ nomina ad unum idemque numen pertinere confirmat; atque hæc omnia monumentorum ope luculenter illustrat. Gruterum mox, Ursatum, ac Smetium reprehendit, quod Figlinarum notas adeo leviter attigerint, cum illæ præsertim & Fastis, si quis error irrepserit, emendandis, & temporibus, quibus instructa sunt ædificia, & locis, quorum notitia deest, cognoscendis, maximo sint adjumento. Itaque ille hæc monumenta elementorum ordine disponit, simulque Consulum nomina, quorum quidem in Figlinis memoria extat, eadem serie recenset. Neque hic illa omittenda, quæ contra Lucam Petum de veterum ponderibus disputat: adversus enim eum contendit, nostra hæc antiquis nullo modo majora esse; quibus nonnulla etiam addit de Hercule, qui tum a Romanis, tum ab Etruscis custos ponderum habitus est. Singularia etiam illa sunt, quæ exponit deinde de orbiculis osseis missilibus utrinque numismatum more inscriptis, de pilulis ex fossili crystallo elaboratis, de amu-

letis,

letis , five, quos vocant Arabes, de lapillis Talismanis , quos ille omnes ad Mithram , seu Solem refert. Hisce omnibus expositis, Christianorum monumentorum seriem post Bosium & Aringhum recensens, adeo scite ac dilucide omnia interpretatur atque illustrat , ut rarum omnino opus efficiat . Præclarissimum hic (ut cetera omittam) monumentum est illud ab eodem ex cæmeterio B. Castuli erutum, quod exhibet n. LXX. ex quo maximum Christianæ historiæ lumen additum esse cum eruditi omnes fatentur, tum Norisius præsertim, qui Fabretto, qui eidem hanc inscriptionem miserat, respondens, monumentum hoc unum ceteris omnibus ab eodem inventis esse anteferendum ostendit : hujusmodi enim esse dicit , ut post Paschalem S. Hippolyti Canonem , qui insculptus marmori in bibliotheca Vaticana asservatur , altera hæc extet inscriptio , quæ Paschalis sit, nisi quod illa Hippolyti Græca est, hæc Latina . Norisius idem paullo post hanc illustravit, ut videre est in ejusdem animadversionibus *in Fastos Consulares Anonimi* . Neque

que minoris æstimanda illa puto, quæ in eodem libro de indiciis martyrii disputat, ac de ampullis sanguine triumphali refertis, quæ in sacris cæmeteriis juxta Sanctorum Martyrum loculos inveniuntur, quæ omnia certissima martyrii signa esse ita evincit, ut locum dubitationi nullum relinquat. Ac de sanguine præcipue, qui in ampullis invenitur, affert ille epistolæ partem sibi a Leibnitio missæ, in qua egregius ille philosophus ostendit, se salium ope particulas humoris illius, qui sacris phialis adhæreret, solvisse, easque verum esse sanguinem deprehendisse. Hæretici enim nonnulli, quibus Romæ jampridem sacra cæmeteria Fabrettus ostenderat, hominem irridentes, qui vasa illa sanguine olim plena fuisse affirmasset, decolorationem illam ex terreno humore repetendam esse contendebant, illud Ciceronis lib. II. de Divinatione afferentes: *Decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse*. Leguntur etiam in ea monumentorum classe quamplurima ad Christianorum antiquorum ritus at-

que

que usus pertinentia, quorum cognitio ad hanc historiæ partem intelligendam prorsus necessaria est. His illa accedunt, quæ de nominibus gentilitiis, de Dendrophoris, ac de lamina illa exponit, quæ apud Canusium reperta, atque a Nicolao Bon in lucem edita integrum Decurionum, sive Centumvirorum numerum explet, patronis, prætestatisque separatis, quos in extremo recenset. Absolvit denique opus, iis additis inscriptionibus, quæ vel superfuerunt, vel, opere jam absoluto, cognitæ ab eo demum sunt, atque acquisitæ. Neque hic desunt præcipua quædam, quæ prætereunda non sunt. Ostendit enim contra Gothofredi opinionem, frumentum æneum, sive ænum ad civitatem Carthaginiensem nequaquam spectasse, sed & Romæ asservatum, & ibidem distributum fuisse. Addit Juliam Domnam non (id quod multis visum est) novercam, verum Caracallæ matrem fuisse, atque eam ab eodem Imperatore nequaquam uxoris loco habitam esse contra Spartianum evincit. Celeberrimum deinde triumphi a Tiberio Cæsare de Britannis

tannis relati monumentum ſupplet, quod olim in arcu legebatur eidem Imperatori in via, quam Latam vocant, excitatum, nunc vero in Barberinis ædibus a Joanne Chiffletio, ut puto, inſtauratum aſſervatur. Hoc ille a Gaudentio Gozzes, qui idem antea ſuppleverat, perperam reſtauratum contendit, & multis rationibus perſuadet. Paucis ille quidem maximam hanc controverſiam in eo libro expedit: verum multo plura idem hac de re ſcripſit, quæ nunquam publici juris facta fuere, quæque ex bibliotheca Barberina, ubi nunc deliteſcunt, exſcripta apud me ſunt. Aliud etiam ibidem Barberinorum fragmentum inſtaurat, quod Lex Collegii Æſculapii & Hygiæ inſcribitur, atque inter præclariora antiquitatis monumenta recenſetur. Floræ deinde pudicitiam cum Ouzelio a Minuccii Felicis & Lactantii criminationibus vindicat; ac de ſitu Laurentini Pliniani loquitur, atque ita præclariſſimum hoc opus abſolvit, ut quæcunque a ſe dicta ſint & veterum ſcriptorum auctoritate, & monumentorum teſtimonio mirum in modum ſint con-

firma-

firmata. Adjacet huic operi Thesauri Gruteriani accuratissima castigatio ab eodem tunc confecta, cum tantum opus iterum a Basileensibus excudi velle intellexerat. Utinam egregiæ huic collectioni index aliquis adjaceret, quo ea, quæ passim dispersa jacent, in unum colligerentur, atque ad classes, quas Scaligerianas vocant, revocarentur. Licet enim per partes quasdam opus omne distributum sit, tamen præcipua monumentorum pars nequaquam hujusmodi est, ut ad classes illas omnino pertineat, in quibus eadem monumenta exhibentur. Neque enim hic scopus Fabretti fuit, ut quascunque inscriptiones in unum locum congessisset, hæ ad ipsum pertinerent, sed id unum voluit, ut quod ordinatim explicandum suscepisset, id ope monumentorum quorumcunque conficeret; quod egregie præstitit. Non deerunt fortasse, qui laboriosum opus hoc aggrediantur; ex quo fiet, ut collectio hæc, quæ plerisque dignitate præstat, omnibus deinde etiam utilitate sit anteponenda. Hunc sane indicem Fabrettus, ut multi contendunt, confecerat; eum.

eumque nunc in bibliotheca Vaticana asservari affirmant. Certe Franciscus Zaccaria Societatis nostræ vir doctrinæ laude commendatissimus, qui sæpe de hac Fabretti collectione mentionem facit in eo libro, quem superioribus diebus *de arte Antiquario - lapidaria* in lucem edidit, haud exiguam hujus indicis partem Pisauri apud Marchionem Muscam se vidisse mihi testatus est. Extat etiam in Mutinensis Ducis bibliotheca ejusdem indicis pars haud exigua, quam sibi Ludovicus Muratorius confecit, eademque Fabretti inscriptionibus adjacet adnexa. Inscriptiones in hoc volumine exhibentur DCLXXXII. supra MMMM. quarum CCCCXXXIII. ex quibus ejus museum conficiebatur, quasque præcipue illustrandas susceperat, aut ex sacris cæmeteriis, aut ex agro Romano effoderat, ut supra dictum est; reliquas vero ex museis amicorum, ac præsertim ex iis excerpserat, quas Franciscus Barberinus senior Cardinalis ope clarissimorum virorum Leonis Allaccii, Hieronymi Aleandri, Lucæ Olstenii, Caroli Moronis, Josephi Suarezii aliorumque,

ex omni terrarum orbe, unde exſcribi poterant, collectas habebat, quarum ſane numerus longe Gruterianum excedit. Id enim clariſſimus vir cogitabat, ut ex iis novum Theſaurum conficeret, quo ea, quæ Grutero deſunt, ſupplerentur. Ceterum multum ſe debere profitetur Fabrettus Joſepho de Juliis, Philippo Turrio, Philippo Bonarrotio, Franciſco Blanchinio, quos in hoc opere conficiendo tanto ſibi ſubſidio fuiſſe dicit, quanto doctiſſimi viri Pighius, Veslerus, Smetius Grutero fuerunt. Atque hoc loco prætermittenda non eſt ſumma ejus & in exprimendis e marmore veterum inſcriptionum litteris ſolertia, & in univerſo opere excudendo diligentia: etenim ne quis elementorum apex vel minimus deperiret, nolebat ille omnem omnino terram, quæ litteris in lapidibus inciſis inſederat, eaſque oppleverat, a foſſoribus excuti, ſed abſterſo leviter marmore, & humefacta papyro ſuperimpoſita, eaque linteolo circumvoluto, ſive arida ſpongia compreſſa, illud aſſequebatur ut litterarum, quotquot extabant, veſtigia, partim ipſa-

ipſarum cavitate, partim etiam terræ particulis eidem papyro adhæreſcentibus, mirum in modum expreſſa conſpicerentur. Neque minor in ea collectione excudenda Fabretti diligentia fuit. Neque enim ille ſolum, quemadmodum Juſtus Fontaninius ſcribit in ſua Italicæ Eloquentiæ Bibliotheca, typorum formas domi habere voluit, verum etiam idem characterum pagellas ſua manu componebat, quæ deinde a Dominico Antonio Hercule typographo imprimebantur. Ex quo factum eſt, ut inſcriptiones omnes, quæ in eo libro exhibentur, exemplaribus ſuis mirifice reſpondeant: quod ſane in ceterorum libris, in quibus hujuſmodi monumenta conſpiciuntur, adeo rarum eſt, ut vix unum & alterum mendis hujuſmodi carentem hactenus in lucem prodiiſſe putem. Adſunt quidem in hoc opere monumenta nonnulla, quæ a Scipione Maffejo in controverſiam vocantur; verum ea tam pauca ſunt, ut, quemadmodum idem Maffejus ait in eo libro, quem *de arte critica lapidaria* ſcripſit, prima hæc collectio dici poſſit, quæ ſpuriis, & commentitiis inſcriptionibus tam fœdum in

N 2 mo.

modum non ſcateat: quarum, cum in tanto epigrammatum numero nulla ratio habenda ſit, idcirco eam ceterarum omnium emendatiſſimam arbitratur. Marmora Fabretti omnia, quæ in eo libro illuſtrata fuere, Urbinum magno ſumptu delata diu in ejus ſuburbano apud heredes permanſerunt, donec, iiſdem annuentibus, a Jo: Franciſco Stoppano Card. Urbini Legato anno MDCCLVI. una cum ceteris provinciæ illius monumentis in ædibus Ducum ad univerſæ Italiæ ornamentum ac decus collocata fuere. Scio equidem, nonnullos mirari quî factum ſit, ut inſcriptionum volumina, cum ex iiſdem typis omnia prodierint, tamen non eandem frontem omnia, neque eundem annum præferant, cum alia annum MDCLXXXXIX. alia MDCCII. exhibeant. Quod idem Juſtus Fontaninius a Galera quodam typographo factum eſſe dicit, cui eadem volumina pene omnia ab heredibus vendita fuere. Itaque paucis illis exceptis, quæ, Fabretto vivente, in publicum prodiere, quæque hyſtricis nota diſtincta annum MDCLXXXXIX. præferunt, reliqua fron-

ſtontibus omnino ſuppoſitis omnia conſpiciuntur, quamvis eodem anno omnia, iiſdemque formis fuerint excuſa. Atque hæc de Fabretti operibus dicta ſint ſatis: nunc ad eum revertamur, qui cum in hiſce conficiendis toto animo occupatus LXXXI. ætatis annum expleſſet, cumque & ingenii & doctrinæ fama apud omnes gentes creviſſet, nimia fortaſſe ſtudiorum contentione, quibus nullo pacto unquam ſibi temperare potuit, in morbum incidit. Cum hoc ille quidem diu multumque conflictatus eſt, idemque hominem extinxiſſet, niſi tum medicorum opera, tum diligentia domeſticorum factum fuiſſet, ut poſt multum temporis tandem vis febrium remitteret. Non ille tamen ita relevatus eſt, ut priſtinis viribus amplius uti potuerit: quin ab eo tempore adeo capitis vertiginibus corripiebatur, ut ſæpe inter domeſticorum manus, qui illi ſemper aderant, miſerandum in modum collaberetur. In cutim deinde morbus prorupit, in qua tanta lepræ vis repente apparuit, ut nulla pars corporis eſſet, quam non ea morbi fœditas deformaret. Hæc

autem incommoda mira animi tranquillitate perferebat Fabrettus; nihilque erat cur aut animũ despondereret, aut mœrori se daret: verum perinde ac si valetudine esset integra, eodem vivendi instituto utebatur, & in pristina studiorum contentione obfirmato animo permanebat; nisi quod interdum ad aliquam animi relaxationem amœniora Urbis loca curru vectus obibat. Hoc homini fatale fuit. Aspera erat hyems, & frigora in Urbe maxima. Fabrettus cum extra portam Viminalem in ea via, quæ Nomentana appellatur, nimia se recreandi cupiditate longius esset provectus, hora noctis secunda cum febri domum rediit. Pustularum copia, quibus paullo ante cutis circumquaque scatebat, nusquam apparuit: morbus enim vi frigoris regressus ad intestina descenderat. Accersiti confestim medici, hominem ad interitum ruere pronunciant, nisi purulentus ille humor iterum ad cutim revocetur. Hoc cum nulla medicinæ ope præstari posset, Fabrettum monent, vitæ exitum imminere, quare & sibi & domesticis rebus esse consulendum. Hac illa denunciatione

ne tantum abfuit ut perterreretur, ut potius hilariori vultu quam consueverat, altam animi securitatem indicante, ad omnia paratum se esse dixerit, quæ a Deo Optimo Maximo de se constituerentur; optare idcirco, ut quam citissime fieri posset, sacris omnibus, quæ ad religionem pertinent, rite procuraretur. Gestus est statim ei mos, nullaque interposita mora, sacris omnibus de Ecclesiæ more expiatus est. In quo adeo pietas & constantia integerrimi viri enituit, ut qui aderant lacrymas tenere vix possent. Deficientem enim eum videbant, qui quamvis senex esset, tamen propter eximiam religionem doctrinamque suam videbatur omnino nunquam deficere debuisse. Morbus exinde in dies vehementius est auctus, neque ejus impetus ulla ratione amplius cohiberi potuit: itaque ejus vi cessit Fabrettus XIV. post diem, ex quo iterum decubuerat. Desideratus est optimus senex VII. Id. Januarii anno MDCC. annos natus LXXXI. menses VI. Fabretto demortuo, statim se litteraria respublica magno ornamento spoliatam sensit, omnique

N 4 do-

doloris significatione clarissimi viri interitum est prosecuta. Idem per universam Italiam viri principes multi præstiterunt, qui Fabretti eruditionem jampridem suspexerant; inter quos Cardinales duo amplissimi recensendi sunt, Joannes Franciscus Albanus, qui paucos post menses ad maximum Pontificatum est evectus, vocatusque Clemens XI. & Gaspar de Carpineo, quorum alter ita de Fabretti valetudine sollicitus fuit, ut eundem ægrotantem sæpissime inviserit, alter vero eidem de rebus domesticis testamento constituenti adesse voluerit. Is autem doctorum virorum, qui Romæ aderant, concursus domum ejus, dum ægrotaret, est factus, ut qui eum non inviserit in litteratorum virorum numero vix recensendus videretur. Mortuus est Fabrettus in ea domo, quam in regione, quæ Leonina vocatur, ad S. Petri conduxerat, captus tum locorum solitudine, tum eleganti domus ipsius constructione. Balthassar enim Peruzius Senensis, qui multum pingendi, & architectandi arte Romæ floruerat, ita eam domum digesserat, ut nescio quid nobile, ac pervetu-
stum

ſtum referret, quo maxime Fabrettus capiebatur. Ex ea domo nobili funere elatus eſt, atque in S. Mariæ ſupra Minervam, quemadmodum teſtamento juſſerat, poſt exſequias magna pompa celebratas, conditus eſt in fratris ſui ſepulcro. De ejus morte ubi Urbinum perlatum eſt, ibi etiam nobili funere eſt honeſtatus, & luculenti oratione a Bonaventura Creſcimbenio e Clericis Regularibus Pauperum Matris Dei laudatus. Fuit Fabrettus natura non aſpera illa quidem, ſed provocatus iracundiam non cohibuit, & aculeum in adverſariorum ſuorum cute altius infixum reliquit. Simultates etiam cum potentibus viris geſſit, ſi quando ſuam ipſis virtutem aut inviſam, aut minus probatam exiſtimavit. Hæc ſi excipias, optimis cetera moribus, atque integerrimis fuit, & Chriſtiano homine ac pio dignis. Omnibus religionis officiis cumulatiſſime ſatisfecit, nec quidquam abs ſe deſiderari paſſus eſt, quod ab homine eccleſiaſticis miniſteriis addicto requirebatur. Præter Subdiaconatum nullos alios ſacros ſuſcepit ordines, eodemque ſenex initiatus eſt.

Ab

Ab avaritiæ fordibus femper abhorruit : indignum enim homine ingenuo exiftimabat plura expetere, quam quæ ad vitam aliqua cum dignitate alendam, neceffaria arbitraretur. In quo adeo fevere fe geffit, ut magni pretii munera a viris principibus ultro oblata conftanti animo non femel rejecerit. Ingenio ufus eft acerrimo, memoria tenaciffima, ut a natura ipfa ad antiquitatis inveftigationem non dicam comparatus, fed prorfus effictus effe putaretur. De hujufmodi rebus fagaciffime judicabat, atque in res ipfas, quod paucorum eft, difquirendo, penitus invadebat, latentemque inde veritatem eliciebat. Hac in fcientia, ut omnes fatentur, neminem fuperiorem, vix aliquos pares habuit. Idem multarum gentium fermone locutus eft : Græcam vero, Latinam, atque Italicam linguam egregie calluit. Prudentia ac dexteritate fuit fingulari; fide, probitate, & humanitate mirifice excelluit. Grata in loquendo feftivitas, amœna comitas, non arte quæfitus lepos, pudor autem quidam ingenuus maxime hominem commendabant :
ex

ex quo fiebat, ut non ſolum æqualium animos ſibi facile demereret, verum etiam apud viros principes multum valeret gratia. Itaque & amabatur a multis, & magni eidem honores ultro deferebantur. Inter hos illud Romæ ſingulare, quod in Patriciorum cœtum una cum gente ſua fuerit cooptatus. Statura fuit procera, pleno dignitatis aſpectu, oblongo ore, vividis oculis, inceſſu vero ita ad gravitatem compoſito, ut ceterorum reverentiam ſibi conciliaret. Capillos nunquam coluit, qui a fronte ad ſupercilia profluentes ſeveritatem hominis indicabant. Valetudine uſque ad annum ætatis xxx. quemadmodum ipſe fatebatur, pene aſſidue laboravit; ex quo quidem tempore ita virium firmitate floruit, ut vel in ipſa ſenectute nec laborum magnitudine, nec aſſidua ſtudiorum contentione unquam defatigaretur. Arcadicis conventibus, paſtoritio Jaſithei Naphilii nomine adſcito, frequens intererat, atque in eum cœtum peculiari ſtudio ferebatur, eundemque carminibus ſuis identidem honeſtabat. Extat apud Marium Creſcimbenium

nium in tomo III. Commentariorum Italicum Fabretti epigramma ſumma elegantia conſcriptum. Idem *Surdorum*, ut vocant, Academiam, quæ Urbini floret, ſuo nomine nobilitavit. Hunc tum domeſtici, tum externi plurimi fecerunt, & tanquam lumen aliquod ad diſſipandas a vetuſtate obductas rebus tenebras exortum ſuſpexerunt: neque ullus fere ſuo tempore de rebus antiquis, aut ad Urbem aliquo modo ſpectantibus ſcripſit, quin honeſtiſſimam de eo mentionem fecerit. Inter hos eminent ex externis Gisbertus Cuperus, Laurentius Begerus, Bernardus Monſouconus, Joannes Mabillonus, Wilhelmus Neeſvvodus, Joannes Harduinus; ex noſtris vero Henricus Noriſius, Scipio Maffejus, Janus Vincentius Gravina, Franciſcus Mediobarbus, Cæſar Malvaſia, Franciſcus Blanchinius, Franciſcus Eſchinardus, Jacobus Pignatellus, Joannes Ciampinius, Marius Creſcimbenius, Philippus Turrius. Qui vero conſecuti ſunt iiſdem de rebus ſcriptores eundem homini meritiſſimo honorem habuerunt. Quo nomine ei plurimum debet Italia noſtra, quæ ſicuti

cuti supra ceteras orbis terrarum regiones veterum monumentorum copia abundat, ita eum nacta est virum, qui suo labore hæc maxime illustravit, exterosque omnes, qui harum rerum studio mirifice delectati sunt, & ingenii sagacitate, & indagandi solertia, & judicandi felicitate longe superavit. Excitatum est Fabretto monumentum, quemadmodum ipse moriens jusserat, a Gaspare Josephi fratris sui filio in eodem templo, in quo jampridem sepultus fuerat; additumque monumento hoc elogium, quod Dominicus Riviera, qui postea Cardinalis fuit, quique viventi Fabretto in tabularii Pontificii procuratione adjutor fuerat constitutus, sic eleganter exaravit.

D. O. M.

D. O. M.

RAPHAELI FABRETTO GASPARIS F.
VINCENTII N. PATRITIO
URBINATI EX S. C.
OB ANTIQUITATES URBIS ILLUSTRATAS
IN ROMANOS PATRITIOS
CUM GENTE SUA ADLECTO
ALEXANDRO OCTAVO A SUPPLICIBUS LIBELLIS
VATICANAE BASILICAE, CANONICO
ARCHIVII APOSTOLICI
MOLIS HADRIANAE PRAEF.
VIRO
ITALIS EXTERISQUE NOTISSIMO
QUI DUM AGRI ROMANI
DESCRIPTIONEM PARARET
OBIIT VII. ID. JAN. ANN.
A NAT. DOMINI MDCC.
GASPAR FABRETTUS JOSEPHI FRATRIS FILIUS
EX TESTAMENTO B. M. P.

Opera Edita.

DE AQUIS ET AQUÆDUCTIBUS veteris Romæ Dissertationes III. Romæ 1680. *in* 4. , & secundo *Parisiis apud Sebastianum Mambre* 1680 *in* 4. Grævius vero retulit easdem Dissertationes suum *in Thesaurum Antiquitatum Romanarum* tom. 4.

DE COLUMNA TRAJANI SYNTAGMA cum explicatione veteris tabulæ anaglyphæ Homeri Iliadem , & ex Stesichoro , Arctino , & Lesche Ilii excidium continentis ; & Emissarii Lacus Fucini descriptione . Romæ 1683. *in fol.*

JASITHEI AD GRUNNOVIUM (sic enim per contemptum Gronovium appellat) *APOLOGEMA ; in ejusque Titivilitia sive somnia de Tito Livio Animadversiones . Neapoli* 1686. *in* 4.

INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM quæ in ædibus paternis asservantur explicatio & additamentum. Romæ 1699. *in fol.*

DISSERTAZIONE in cui si emendano alcuni errori seguiti nella descrizione del Lazio antico fatta dal P. Atanasio Kirker . Extat in Tom. III . *De' saggi di Dissertazioni dell'Accademia Etrusca di Cortona p.* 221.

Extant etiam plurimæ ejusdem EPISTOLÆ , quæ varia Antiquitatis monumenta illustrant , eæque sparsim apud diversos Auctores editæ inveniuntur.

Opera Inedita.

LATIUM VETUS ILLUSTRATUM . Hoc opus morte interceptus minime absolvit .

OSSERVAZIONI sopra l'iscrizione dell' Arco di Claudio supplita da Gauges de Gozze .

HIERO-

HIERONYMO FERRIO.

ANGELUS FABRONIUS . S. D.

Tredecim jam absolvisti epistolas pro defensione Latinæ linguæ adversus Halambertium ? Cessator esse noli , & brevi ede opus , quod tibi erit maximæ gloriæ . Quam sæpe Facciolatus noster cunctantem , & diffidentem te auctoritate sua excitare solitus erat ! nec dubito quin , si revivisceret , increparet tarditatem tuam . Nosti enim hominis flagrantissimum studium in Latinas litteras , de quarum dignitate ac laude quidquam detrahi minime pati poterat . Deus male perdat homines , qui Latinam linguam ne a limine quidem salutandam , aut in cucullatorum scholas , tanquam in aliquod pistrinum , detrudendam contendunt ; nosque pro virili parte elaboremus prospicere malo , cui nisi mature provideatur , de humanioribus litteris actum erit . Plura quidem de laudibus Latinæ linguæ nos persecuti sumus in epistola , quam cum Magalotti vita ad Julium Oricellarium Senatorem amplissimum misimus ; nec pau-

pauca nunc etiam persequimur, dum Jacobi Facciolati vitam exponimus. Tam multa enim sunt quæ ad ejusdem linguæ provehendum studium ipse scripsit, adeoque in ea excelluit, ut unius præconia cum alterius laudibus necessario sint conjuncta. Ne autem in hac contexenda vita longus sim, facit ejusdem Facciolati voluntas, qui me sæpe admonebat brevissima quæque ei optima videri, iisque aut maxime aut unice delectari; perpaucas paginas satis esse amplas ad uniuscujusque hominis mores & facta explicanda, longumque esse & minime necessarium de primis ætatis temporibus, de studiorum cursu, & de scriptis operibus singulariter commemorare. Proponebat autem se ipsum ad imitandum, qui Ciceronis vitam, quam alii pluribus voluminibus complexi sunt, paucis ipse chartis comprehenderit. Profecto me defuturum tanti viri amicitiæ putarem, si secus, quam optabat, de ipso scriberem, quamvis id minime cum instituto & sententia nostra consentiat. Semper enim existimavimus eam tenendam esse rationem, quæ cum satietati, tum igno-

rantiæ medeatur lectorum. Nam si tantummodo summas rerum attingerem, vixque librorum inscriptiones indicarem, minus lucide appareret quantus vir ille fuisset, de quo scribendum suscepi. Hæc & alia multa confirmata summorum scriptorum auctoritate & exemplis respondebam Facciolato: sed ipse in sua permansit sententia, ego in mea, quam tibi, suavissime Ferri, probari vehementer gaudeo. Scis enim quantum prudentiæ tuæ in judicando tribuam, ut, te duce, haud posse me errare semper putaverim. Perge porro me consilio tuo juvare, & benevolentia prosequi; quod si in me minus consilii, amoris certe & officii plurimum erit, quibus tibi respondeam. Vale.

Pisis Kal. Junii MDCCLXX.

JACO-

JACOBUS FACCIOLATUS.



Acobus facciolatus Taurilia in collibus Euganeis natus patre Matthæo, matre autem Maria Superantia prid. non. Januarii an. MDCLXXXII. Annum ætatis attigerat vix alterum & decimum, cum eum parentes politioribus litteris in Trestensi Collegio, non procul Ateste oppido, sedulam operam navare voluerunt. Quod cum auspiciis floreret Gregorii Cardinalis Barbadici, id caussæ fuit quamobrem Facciolatus, qui ingenii acie non modo, sed industria etiam pollebat, anno post a sapientissimo Antistite inter alumnos Seminarii Patavini referretur. Ibi studiorum omnium stadium emensus an. MDCCIV. Theologica laurea donatus est, & cooptatus in Collegium Theologorum. Anno eodem iterum in Seminarium accitus a Gregorio Cardinali Cornelio, qui Barbadici, cui successerat, famam magna cum laude sustinebat, ut juventutem imbueret earum rerum

cognitione, quæ plurimum decent adolescentes divino cultui addictos, primum ad breve tempus pro-Theologo fuit, tum vero triennium professus est Philosophiam. Verum quod ei acutum, & feliciter audens ingenium natura tribuerat, & humaniores disciplinas quotidie magis excolere videbatur, ei Cardinalis Academiæ scholam regendam commisit, quod munus ad id tempus fuerat Præfecti studiorum. Huic etiam quotannis præfationis onus imposuit in publica studiorum instauratione, qua quidem re cum omnibus cumulatissime satisfecit, tum Cardinalem, qui bonas artes vehementer fovebat, ita sibi devinxit, ut is studiorum Præfecto, viro sane præstanti, sed laboribus defatigato auctor fuerit, ut eo se munere abdicaret. Hoc munere, quod studia omnia complectitur, auctus Facciolatus, Scholis omnibus æmulatione excitandis animum adjecit; sed curam potissimum linguarum suscepit. Id illi visum est juventuti accommodatissimum, quæ cito abitura in Seminariis instituitur: idque ipsum eum impulit, ut,

ut, adjuvante præsertim Ægidio Forcellinio carissimo discipulo suo, septem linguarum Calepinum, qui multis scatebat erroribus, corrigeret augeretque, Nizolii Apparatum, Schrevellii Lexicon, Græcam Grammaticam, Latinas Tursellinii Particulas, Italicam Orthographiam, & alios id generis libros sane non paucos crebris locis retractaret, amplificaret, ornaret. Anno MDCCXI. edidit orationem ad Grammaticam, quæ quidem conformata ad Tullianarum exemplum, cum puncta omnia tulisset, quippe quia rursus e vestigio edita Lipsiæ aliisque in locis, Auctori persuasit suo, ut ceteras etiam, quas e suggesto habebat quotannis, publici juris facere famæ securus non dubitaret. At cum Cardinalis Cornelius an. MDCCXXII. ad superos migrasset, antequam Facciolatus fidem suam successori obstringeret, ad profitendam in publica Academia Dialecticam accitus est. *Ad vacuam Logicæ sedem*, ait Pappadopolus in sua historia tom. I. cap. LIII. n. IX., *designarunt Triumviri Litterarii neque petentem, neque volentem eloquentissimum virum Jacobum Facciolatum*

 cio-

ciolatum Coloniensem. Coloniensem appellat, propterea quod Consilium Coloniæ, parvæ quidem urbis, sed admodum cultæ, eum civitate donarat. Cum propositum esset Facciolato, sicuti in Seminario fecerat, magna cum cura & diligentia suos discipulos instituere, non duos tantum *Analyticorum posteriorum* libros e superiori loco more majorum interpretatus est, sed domi quoque in privato ludo alias omnes Dialecticæ partes absolvit, e quibus unum corpus confecit sæpius typis seorsim impressum, proxime vero additis etiam *Logicis Acroasibus*, quas in Gymnasio ad Scholas auspicandas quotannis habere solebat, & separatim ediderat. Quale de hoc opere judicium fecerit intelligens vir Hercules Franciscus Dandinius juvat ejus verbis referre. *Ab hisce Institutionibus*, inquit in suo Meranio, *velim præceptores Logicæ non discedere latum unguem, non alio uti ordine, non aliis aut verbis aut sententiis; sunt enim & prudentia & elegantia atque eruditione insignes, & ad eos, qui Logicæ arti dant operam, oblectandos aptissimæ*. Honorifi-

rificentissima quoque sunt, quæ Antonius Genuensis protulit de hoc Facciolati opere, quod tanta perspicuitate & elegantia ornatum dixit, ut nihil supra desiderari possit. Cum an. MDCCXXXIX. Logica schola Metaphysicæ publico decreto conjuncta fuisset, Facciolatus vacandi veniam postulavit, ut ad pristina studia rediret. Sed Magistratus nullo modo pati voluit, ut nomen ejus ex publicis Gymnasii tabulis tolleretur; proindeque jussit, ut, servato publici Doctoris nomine ac stipendio, Academiæ Patavinæ historiam, quam Pappadopolus scripsit, & ad suam perduxit ætatem, ipse persequeretur & absolveret. Paruit, & quidem eo consilio, ut rem totam ab initio ordiretur. Sed quid? Tabularia invenit alia deserta & confusa, alia pene vacua. Non tamen idcirco animum despondit, sed totum se monumentis undique colligendis dedit, quibus tabularia implevit, &, catalogis confectis, ad usum accommodavit. Ex his *Fastos Gymnasticos* contexuit, præmissis *Syntagmatibus duodecim*, quibus totam Gymnasii rationem,

 le-

leges & munia complexus eſt . Quo confeсто , Princeps confirmavit illi ſcribendi munus quidquid memoria dignum Patavino in Lyceo in poſterum contingeret . Poterat quidem tractatio hiſtoriæ ampliſſimus eſſe campus Facciolato ad laudem . Sed cum ipſe nimis jejune res præteritas attigiſſet , nec ſemper vere de præſentibus judicaſſet , expectationem , quam ſui concitaverat , minime ſuſtinuit . Idem non meliori ſucceſſu aſpiravit ad poeticam laudem , quanquam ab adoleſcentia multa tum Italica , tum Latina carmina confecerit . Sed tamen vivet ſæculis innumerabilibus Facciolati nomen propter excellentem ejus præſtantiam in Latina eloquentia , & in omni Latine ſcribendi ratione . Etenim perpaucos invenies , qui in hoc laudis genere , hoc præſertim ſæculo , cum illo comparari queant . Quanquam is eſſet , ut in primis conſuleret Ciceronem , ejuſque ſermone uteretur , non tamen abhorrebat ab Apulejo , hujuſque æqualibus , quoties accidebat , ut aliqua Latine dicenda eſſent , quæ vel ii uni , vel primi dixiſſent : ſed

ita

ita iis utebatur , ut illos ad se , non se ad illos adjungeret , & illos ipsos quodammodo Tullianos efficeret . Hæc præclaram famam pepererunt Facciolato , qua permotus Lusitaniæ Rex eidem , ingenti proposito præmio , præfecturam obtulit Collegii nobilium adolescentium , quod Ulyssipone instituerat . At ille ætatis jam pene exactæ excusatione usus , obtinuit ab humanissimo Rege , ut bona ejus cum gratia in urbe Patavina , suoque in munere maneret . Detulit tamen ei omnem operam , quæ in tanta terrarum longinquitate præstari posset . Credibile est non vanam oblationem fuisse , quandoquidem paullo post ingens munus planeque regium vasorum Sinensium ab eodem Rege Facciolatus accepit . Quod quidem munus & gratum per se , & eo magis etiam gratum , quod Facciolatus ipsum domesticis usibus destinavit . Nam ut in scriptione , sic in omni re domestica , omnique vita munditiam , non affluentiam affectabat . Neque hoc prætcribo , quanquam nonnullis leve visum iri putem . Cum hortulum haberet , nihil in illo plantaverat ac seruerat

nisi

nisi quod optimum & rarissimum esset; nec vile aut vulgare existimabatur quatuor aut quinque pomis a Facciolato donari. Cum esset liberalis non excludebat ab usu rei suæ familiaris amicos, cum quibus omnia habere communia videbatur. Adeo vero illum tangebat aliorum indigentia, ut non magis illorum misereret qui suam misericordiam requirerent, quam qui minime efflagitarent. Non mirum igitur si supremæ ejus tabulæ ac voces nil nisi pietatem in pauperes præ se tulerint. Ut amicitiis eluxit, sic inimicitiis minime caruit; nec desunt adhuc qui libenter de ipso detrahant, & ejus memoriam in invidiam vocare contendant. Ipse autem quoad vixit malevolorum voculas contempsit, suæque fortunæ animo maximo velificatus est. Porro si tum in scribendo, tum in judicando de alienis scriptis se suis finibus, non iis quidem amplissimis, continuisset, non adeo multos habuisset suarum laudum adversarios obtrectatoresque. Vixit ad extremam senectutem valetudine secunda, attulitque ei mortem ileus VII. Kal. Septembris an. MDCCLXIX.

Opera Edita.

ORATIONES LATINÆ. Harum multæ ſeparatim emiſſæ fuerunt. Primum eas collegit Joannes Manfrè, ediditque Patavii an. 1744. in 8. cum præfationibus librorum, epiſtolis philologicis, Academicis commiſſionibus, Scholaſticis diſputationibus, & vita Philippi a Turre. Idem Typographus Joannes Manfrè XXVII. Orationes a Facciolato conſcriptas, quarum nonnullæ erant ineditæ, an. 1767. typis Seminarii vulgavit.

LOGICÆ DISCIPLINÆ RUDIMENTA ex optimis fontibus deducta, & Latine explicata opera & ſtudio Jacobi Facciolati in Patavina Academia Poſteriorum Analyticorum Interpretis ad uſum privatæ Scholæ. Venetiis 1728. *apud Jo. Baptiſtam Albritium Hieronymi fil. in* 8. Hæc *rudimenta* ita contexuit Facciolatus, ut de ſe prædicare potuerit Ciceronis illa in lib. de Invent. 2.: *Omnibus in unum coactis ſcriptoribus, quod quiſque commodiſſime præcipere videtur, excerpſimus, & ex variis ingeniis excellentiſſima quæque libavimus.*

ACROASES DIALECTICÆ. Separatim editæ primum fuerunt, mox relatæ in librum, cui inſcriptio:

JACOBI FACCIOLATI LOGICA tria complectens, Rudimenta, Inſtitutiones, Acroaſes XI. Venetiis 1750. *typis Jo. Baptiſtæ Albritii fil. in* 8.

DE VITA CARDINALIS CORNELII EPISCOPI PATAVINI. Extat in Actis Eruditorum Lipſenſium an. 1722.

ORTOGRAFIA moderna Italiana con qualche coſa di lingua per uſo del Seminario di Padova aggiun-

ti

ti in fine gl' avvertimenti grammaticali in Padova 1721. *presso Gio. Manfrè in* 4.

LETTERA sopra un testo della Gerusalemme Liberata del Tasso . Extat in Tom. I. operum Tassi Venetæ editionis p. 397.

—— *sopra lo studio della lingua Latina scritta a Gio. Batista Recanati* . Ext. in Tom. I. *delle novelle della Repubblica delle lettere dell'anno* 1729.

EPISTOLA de significatione vocis Nepos . Extat *nel supplemento del Giornale de' letterati d'Italia* .

JACOBI FACCIOLATI EXERCITATIONES in duas priores Ciceronis orationes : editio altera , cui adjuncta est epistola ad Q. Fratrem Asiæ Prætorem de ratione regendæ provinciæ . Patavii typis Seminarii 1731.

ANIMADVERSIONES CRITICÆ in I. Litteram Latini Lexici cui titulus = Magnum Dictionarium Latino Gallicum collegit & vernaculo sermone reddidit Petrus Danetius = Patavii apud Joan. Manfrè 1731. *in* 8.

—— *in X. litteram ejusdem Lexici* . Extant in collectione *opusc. scientific. Calogerà tom. XIX. Venet.* 1739.

SCHOLIA in libros Ciceronis de officiis , de senectute , amicitia , somnio Scipionis , paradoxis , deque petitione . Venetiis ex typographia Jo. Baptistæ Albritii Hieronymi fil. in 8. *magno* . Vertit etiam Facciolatus in Italicum sermonem commentariolum *de petitione Consulatus* .

MONITA ISOCRATEA Græco-Latina collecta & explicata : secunda editio locupletior . Patavii typis Seminarii 1741. *in* 8.

DE GYMNASIO PATAVINO Syntagmata duodecim ex ejusdem Gymnasii fastis excepta . Patavii 1752. *ex typographia Seminarii . in* 8.

FASTI GYMNASII PATAVINI Jacobi Facciolati

stu-

studio atque opera collecti ab an. 1260. ad annum 1756. Partes III. Patavii typis Seminarii 1757. apud Jo. Manfrè in 4.

SFERA E GEOGRAFIA per le scuole de' Fanciulli.

IL GIOVANE CITTADINO instruito nella scienza civile, e nelle leggi dell'amicizia. In Padova 1740. nella Stamperia del Seminario appresso Gio. Manfrè. in 8.

CICERONIS VITA LITTERARIA. Patavii typis Seminarii.

VITA ET ACTA JESU CHRISTI secundum utramque generationem divinam & humanam. Accedit Italicus Christi sermo ex monte habitus. Patavii 1761. typis Seminarii. in 24.

VITA ET ACTA B. MARIÆ V. JESU CHRISTI MATRIS ex Evangeliorum libris excerpta. Patavii 1764 typis Seminarii. Addenda libello de vita & actis J. C. in 24.

NARRAZIONE Compendiosa della Vita di GESU' CHRISTO Signor nostro e di MARIA VERGINE di lui Madre. In Padova 1764. nella Stamperia del Seminario. in 24.

VIATICA THEOLOGICA X. quibus adversus Religionis dissidia Catholicus viator munitur. Patavii 1763. ex typographia Seminarii.

EPISTOLÆ LATINÆ CLXXI. Jacobi Facciolati in Patavina Academia Professoris emeriti & Historici. Patavii 1765. ex typographia Seminarii in 8. magno.

Quam contulerit operam Facciolatus in Lexicon Calepini, nec non Nizolii, & Schrevellii, in Latinas Turselinii Particulas, ceterosque hujus generis libros ad Græcæ Latinæque linguarum studium tum utiles, tum necessarios supra commemoravimus.

PETRO

PETRO ANTONIO SERASSIO.

ANGELUS FABRONIUS. S. P. D.

CUM antea cupiebam ex instituto meo vitam Alexandri Guidii explicare, tum vero postquam cognovi esse quosdam, qui summi Poetæ laudem ei detrahere non verentur, id ipsum vehementissime optavi. Eramus coram lectissima eruditissimaque Matrona Philippus Bonamicius & ego, &, ut fit, garriebamus quidquid in buccam veniebat. Casu incidi in mentionem Guidii, nec dubitavi de hoc poeta sic prædicare, unum esse e nostris, qui, tendit quoties in altos nubium tractus, *proxime ad Pindarum accedat. Tum illa: cetera, inquit, assentior tibi, minime vero quæ prædicasti de Guidio: is enim non delectu uti, non alia lege duci quam impetu & temeritate, omninoque ebrio similis furere & bacchari mihi videtur: propter elegantiam sermonis, fabularum copiam, utiles gravesque sententias, ειδώλων sanam effictionem malim me Menzinio, quam Guidio similem esse. Concessi*

Ma.

Matronæ Menzinium in summorum Lyricorum sede ponendum , & ipsum nonnullis in virtutibus vincere Guidium : hunc autem esse poetam contendebam

Ingenium cui sit , cui mens divinior , atque os
Magna sonaturum .

Quis est vero qui nesciat primas in Poesi concedendas esse magniloquentiæ ? Hanc veluti insignem quandam notam proponit Horatius , qua scripta poetarum a scriptis eorum , qui hoc nomine indigni sunt , facile dignosci possint . Ait enim veros poetas ita scribere , ut si quis versus eorum dissolvat , & ad solutam orationem redigat , ordine verborum inverso , & metro penitus adempto , nihilominus dictio poetica reliquua futura sit , quam dictionem ille eleganter appellat membra poetæ disjecti . *Hæc & alia non pauca attuli , quæ idonea existimavi ad meam de Guidio tuendam sententiam . Hanc vero ut planius & apertius exponerem , deliberavi statim colligere quæ ad ejusdem poetæ vitam pertinent ; in qua contexenda , tribuendisque Guidio præconiis si quidquam mihi*

mihi excidit, quod offendat mediocritatem illam, quæ inter nimium & parum esse debet, volo a te, prudentissime & optime Serassi, emendari. Quantum enim judicio valeas satis ostendunt multa, quæ ligata & soluta oratione in vulgus emisisti, in quibus nil nisi elegans, bene moratum, perpolitum, & perfectum videre licet. Fac valeas, meque mutuo diligas. Romæ Kalend. Sextil. MDCCLXX.

ALEXANDER GUIDIUS.



LEXANDER GUIDIUS Bernardi filius, & Magdalenæ Figarollæ civium Papiensium lucem Papiæ aspexit post. id. Junii an. MDCL. In hoc natura quid efficere possit ad informandum poetam videtur experta. Politioris humanitatis, & communium litterarum institutionibus ab ineunte ætate imbutus, non adumbrata, sed expressa indicia dedit futuræ virtutis; quæ sicuti alieno in solo clarius splendescere solet, ita Guidius Parmam se contulit. Vixit ibi aliquot annos carus Raynutio II.

tio II. Farnesio, ab eoque non mediocribus præmiis donatus est. Is enim Poesim amabat, nobilissimisque poetis longe præponere Guidium videbatur. Edidit hic an. MDCLXXXI. Italica carmina, quæ ad lyram, tibicinemque cecinit in sua Parmensi commoratione, in quibus facile cernere licet naturale bonum degeneravisse vitio depravatæ consuetudinis. Nullus enim erat in Italia locus, quo non illius sæculi intolleranda barbaries pervasisset. Eodem etiam anno edidit melodramma, quod inscribitur *Amalasunta*, quodque Parmæ in nobilium, ut vocabant, collegio exhibitum est. Nemo ignorat quantis fluctibus Regia illa femina agitata fuit, donec per Theodatum Etruscorum Principem illis depulsis, tranquilla & beata vita frui potuit. Hos adversos prosperosque Amalasuntæ casus profecto non ita tractavit Guidius, ut delicatum, moratumque dramma illud dici possit, tale tamen fuit, ut maximos meruerit plausus. His initiis ac fundamentis gloriæ positis, Romam venit, cujus visendæ urbis diu mirabili flagrabat cupiditate. Exceptus ibi honorifi-

ce fuit a quibusdam principibus viris, & gratiam quoque iniit a Christina Svecorum Regina, quæ quantum faveret ingeniis, quantumque litteras litteratosque viros amplecteretur, omnibus compertum est. Sensit hæc magnum accessurum ornamentum aulæ & domesticæ suæ academiæ, in quibus flos erat doctorum virorum, si secum haberet Guidium. Egit igitur cum Parmæ Duce, cujus in famulatu tum Guidius erat, ut virum musis amicissimum desiderio suo concederet; quod quidem pro sua auctoritate facile impetravit. Tale autem judicium Reginæ non tam dignitate, quam doctrina amplissimæ non potuit Guidio non summe esse jucundum; vehementerque lætatus est dari sibi fructum otii ad eas artes, quibus a primis ætatis temporibus deditus fuerat, magis magisque celebrandas. Rebus igitur suis Parmæ compositis, Romam rediit ineunte Majo an. MDCLXXXV. Atque illud fuit tempus cum Guidius ad perfecti poetæ laudem accessit, quod qua ratione consecutus sit non est prætereundum. Ubi primum Romam venit, in amicitiam

tiam incidit quorundam doctorum virorum, quos æquus ita amavit Jupiter, ut uni declinare potuerint labem illam ac cœnum, in quo iis temporibus misere jacebat Poesis. Dolebant hi tantam esse corruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea fere extinguerentur mirabiles igniculi, quos a natura habuerat Guidius. Hunc igitur monere non cessabant, ut vulgi insanis plausibus contemptis, eam viam laudis duceret esse rectissimam, quam e Græcis Pindarus, e Latinis Horatius, e nostris vero Petrarcha & Chiabrera tritam reliquerunt. Horum vocibus impulsus dedit se optimorum scriptorum lectioni, in quibus cum esset studiose & multum volutatus, sentire cœpit quantum abesset a magnorum exemplarium perfectione. Hæc ille intuens, & amice conjungens ingenium & studium, ita coloravit ac roboravit stylum suum, ut multis post se relictis illius ætatis poetis, honorem nomenque immortale suis carminibus pepererit. Furit ille quidem, sed illo furore, sine cujus afflatu neminem bonum existere posse poetam Democritus & Plato tradiderunt.

runt. Cum illum procul a terra abripit æſtus ingenii ſui, jam jam caſurum anxius times, mox præpete penna trajectum & in tuto poſitum gratularis. Omnino, quod Pindaro laudi datum eſt, *fervet, ruitque immenſus ore profundo*, nec facile invenies, qui propius accedat ad illum Poetam, cujus periculoſiſſimam eſſe æmulationem omnes una voce conſentiunt. Noverat ipſe Guidius quantam cæleſtem vim in ſe contineret, quapropter utens libertate, quam Ariſtoteles ſummis conceſſit poetis, de ſe glorioſius prædicabat, quam illius inimici pati poterant.

Hinc illa apud Sectanum in fine Satyræ III.

Et qui gibboſo feriebat nubila dorſo,
Dum ciet alatos centum ſuper aſtra jugales
Rore caballino paſtos, ſalſiſque cicadis.

Quæ ſpectant ad illos Guidii verſus.

Et ho cento deſtrieri
Su la riva d'Alfeo
Tutti d'eterne penne armati il dorſo,
Che certo varcherian l'immenſo corſo,
Che fan per l'alta mole
I cavalli del Sole.

Sed

Sed concedamus homini gloriæ & immortalitatis cupidissimo propriarum laudum prædicationem; præsertim cum se defendere potuerit multorum virorum & clarissimorum exemplo. Genus autem illius scriptorum ita cepit & incendit Christianam, ut ab eodem potissimum cuperet ornari & celebrari res suas. Sic enim non tam propriæ quam Guidii gloriæ consulere existimabat, imitans Alexandrum, qui se ab Apelle potissimum pingi, & a Lysippo fingi velle dicebat, quod illorum ars cum ipsis tum sibi futura esset gloriosa. Quidquid vero Guidius intelligebat aut ad amplitudinem, aut ad voluntatem Christinæ pertinere, mira alacritate & studio perficiebat; & hoc tantum nomine se beatum putabat, quod Deus sivisset spectatorem & exornatorem esse tantæ Reginæ laudum. Quæ quidem cum vellet decorare illam solemnem legationem, quam Jacobus II. postquam Britanniæ Rex factus est, ad Innocentium XI. misit, ex omnibus suis Academicis elegit amplissimum Præsulem Joannem Franciscum Albanium, & Alexandrum Guidium

 ad

ad ejusdem Regis laudes cum oratione tum versibus concelebrandas in frequentissimo præstantium virorum conventu, quem in suis ædibus habuit. Melodramma, quod composuit Guidius, totum illustratum erat clarissimis verborum & sententiarum luminibus: quia vero ei deerat tenerum ac molle quoddam, ita torsit musicæ effectorem, ut cani illud ad harmoniam posse prope desperaret. Præter hæc alia habuit Guidius a Regina mandata, in quibus quotidianis commentationibus & scriptionibus diu se exercuit. Etenim illius jussu condidit Endimionis fabulam, in qua sibi proposuit sic exponere pastoritios mores, ut sublime aliquid in se continerent. Erant ii, qui ab hujusmodi moribus nonnisi stabulum olentia deduci posse autumant; & si cui sæpe nimis immoderatione gravium sententiarum efferri Endimion videtur, considerct ille quantum cælestis luminis ad hunc amans Dea transfundere potuerit. Porro non mediocre fuit fabulæ ornamentum, quod Regina cum carminibus Guidii conjunctim quædam sua contexere voluerit; quodque Janus
Vin.

Vincentius Gravina de laudibus ejusdem fabulæ commentariolum scripserit. In hoc plura ille, quam moderata debitaque laus, & propositum argumentum desiderabant, complexus est; *fecitque*, ut Ciceroniano illo utar, *quod sæpe liberales venditores solent*, *ut cum ædes fundumve vendiderint*, *rutis cæsis receptis*, *concedant tamen aliquid emptori*, *quod ornandi caussa apte & loco positum esse videatur*. Initio Guidius fabulam in tres actus divisit, mox quinque fecit, & unicuique suum attribuit chorum. Hi autem chori tanto ceteras fabulæ partes pulchritudine vincunt, quanto his præstat ode, qua Poeta hanc suam fabulam Cardinali Joanni Francisco Albanio (nam quo tempore illa edita est, Christina Regina mortem obierat) dicavit, & in qua vitæ suæ cursum magnifica & gloriosa ostentatione describit. Aliam & contexuit fabulam, in qua Apollinis amores, repulsasque Daphnidis sic exposuit, ut in illo grandis & amplus Guidius cognosci possit, non tamen venustus & suavis. Ille autem cum ampla sententiarum gravitate, majestateque

verborum grandiloquus præfertim fuit in iis odis , quas ad temperandum maximum & acerbiffimum dolorem fuum ob Reginæ mortem de hujus laudibus condidit, & in Arcadum conventu recitavit. Has maxime refpiciens Janus Vincentius Gravina in epiftola quadam ad Scipionem Maffejum, in qua de Italica poefi loquitur, libereque mordet tum cunctantem & nimis verecundantem imitationem, tum effrenatam impudentemque licentiam, *inventum effe*, ait, *fuo ævo Alexandrum Guidium amiciffimum fuum, qui primus mortales tollere contra fit oculos aufus, primufque novorum infolentiam candore atque caftitate veteris locutionis, & imitatorum fervitutem moderata elatione fpiritus & colorum novitate declinarit*. At Guidii carmina non pari modo probabantur ab omnibus. Nonnulli enim læfa ab eo artis præcepta, & fine metrica lege, quo impetus rapiebat, eum excurrere dicebant, non luxuriantia compefcere, non afpera mollire, non inflata gravius moderari, nec femper tollere virtute carentia. Tanta varietas & diffenfio judiciorum

ciorum de Guidio turbas aliquas in Arcadia excitaverat. Ipſe autem invidorum reprehenſiones contemnens, contentioneſque evitans, unice intentus erat ad Arcadiæ gloriam cum ſui nominis fama magis magiſque provehendam. Arcadiæ etiam honori in eo ſe ſervire exiſtimavit, quod illius Paſtoribus ſedem obtinuit in Palatinis hortis; quod ejuſdem Cuſtodem Marium Creſcimbenium domo avunculi profugum Farneſianis ædibus, in quibus ipſe liberalitate Parmenſis Ducis habitabat, excepit; quodque generoſos quoſdam adoleſcentes diſciplina poetica erudiebat, & ad magna tentanda inflammabat. Sed hi dum ſtuduere Guidium æmulari *ceratis ope Dædalea pennis*, *vitreo* dederunt *nomina ponto*. Venit aliquando Guidius Bononiam, & qui in ea civitate tum poetica laude florebant (& multi quidem florebant) ejus celebritate nominis excitati ad audienda carmina ex ipſo cupide convolarunt. Illa quidem ad cælum extulere; talia tamen eſſe minime exiſtimarunt, quin aliquis Guidii ſimilis eſſe poſſet: quod cum conati eſſent, viderunt ſtatim

tim desperatissimam esse spem eo perveniendi, quo intendebant. Interea Pontifex Maximus creatur Cardinalis Albanius, quæ res magnas fortunas portendere Guidio videbatur. Nam omni tempore non obscuras amoris & existimationis significationes ab ipso acceperat. Ut vero Pontificis animum magis magisque sibi demereretur, novam suorum carminum impressionem illi dicavit, suscepitque Italicis versibus reddere, quas idem Pontifex in solemnioribus quibusdam festis habuerat, Latinas homilias. Perfecit opus, in quo cum minime ei liberum fuisset advolare quocunque ingenii sui æstu abriperetur, non adeo magnus, sicuti alias, poeta apparuit. Non tamen dubito quin æquus judex ingentes concessurus sit laudes huic interpretationi, reputetque malevolentiæ & livoris plena illa Q. Sectani in postrema, quam condidit, Satyra quæ minime lucem aspexit.

Attamen inversos Tusco dum carmine vultus
Intueor, notæque fugit me gratia formæ,

Excla-

Exclamare libet : quæ tanta audacia , fuco
Cœlestis faciem matronæ obnubere ! non est
Fas tibi ridiculas in templum adducere pupas ,
Aut centum .... Cineri sed parcat musa sepulto ;
Quin tumulum spargam foliis , quæ Phœbus amavit ,
Perpetuaque rosa : dum non tam dira cupido
Sollicitet manes , Torquato ut proximus esse
Carminibus , socioqne velit contendere busto ,
Et paribus miserum titulis incedere saxum .

Cum se putaret Guidius immortalem jam gloriam lyrica poesi adeptum esse , voluit aliud genus poesis , nempe tragicæ , tentare. Quantum autem viribus suis confideret ex eo conjici potest , quod animum statim ad Sophonisbam convertit , sperans se de laudis posses-

sio-

ſione, quam in hoc pertractando argumento merito occuparunt, Triſſinum & Cornelium poſſe deturbare. Inſtitutum jam opus ſubjicit intelligentium amicorum judicio, a quibus admonitus fuit, ut illud abſolvere deſiſteret. Nam in omni parte mens Guidii ſpirabat; iſque ſibi ſemper ſimilis non ſolum Reginam, ſed etiam ancillam ore rotundo loquentes inducebat. Abjecta Tragœdia, cogitavit hortatu Marii Creſcimbenii in Italicos verſus convertere Davidicos Pſalmos. Et par quidem operi eſſe poterat quod in primis pollere prophetico quodam ſpiritu videbatur. Sed coactus domeſticis ſuis rebus Roma diſcedere, ab illa quoque mente diſceſſit; totumque illud tempus, quo in Patria fuit, urbanis officiis, & ſui & ſuorum civium utilitati libentiſſime conceſſit. Erat oppreſſa tributis Mediolanenſis Provincia, nec deerant, qui ſpecie eam levandi prorſus evertere tentarent. Re delata ad Cæſarem, ejus cognitionem mandavit Principi Eugenio Sabaudo, qui eandem Provinciam gubernabat; denuntiatumque eſt omnibus civitatibus, ut proponerent

rent, quæ contra afferri poſſent. Papienſes Guidium elegerunt ad patriæ defenſionem; iſque pro bono & æquo adeo multa & valida ſcripto perſecutus eſt, ut Judicem in ſuam traxerit ſententiam. Sic unius viri prudentia & eloquentia non Papia ſolum, ſed & tota Mediolanenſis Provincia magno timore liberata eſt, pro quo tale ei præmium tributum, ut inter Papienſes Patricios honorificentiſſimo decreto referretur. Romam Alexander redux totum ſe contulit in procurandam impreſſionem interpretationis, quam feciſſe diximus, homiliarum Clementis XI. Illa autem abſoluta, rem gratam ſe facturum Pontifici putavit, ſi ſine mora ad eum, qui in caſtro Gandulphi ruſticabatur, librum detuliſſet. Cum in viam ſe dediſſet, lectitaretque ipſum librum, incidit in σφάλμα, quod ſummam correctorum diligentiam effugerat. Qua re adeo excanduit iracundia, perinde ac ſi nihil ei ad exiſtimationem turpius, nihilque ad dolorem acerbius accidere potuiſſet. Ita affecto animo cum conſidiſſet in Tuſculano, po-

ſtri-

ſtridie mane in Gandulphianum venturus, correptus fuit apoplexi, poſt quam paucis vixit horis. Hæ ad confirmandam, quæ de ejus in Deum pietate erat, opinionem plurimum valuerunt. Sancte enim & impavido animo mortem oppetiit. Juſta ei ſatis ſplendida facta fuerunt in principe Tuſculana Eccleſia; conveneruntque amici ad ea cohoneſtanda. Ex omnibus maxime Guidii mortem doluiſſe viſus eſt Clemens XI. cujus juſſu defuncti cadaver Romam ad S. Honuphrii translatum, ibique ſepultum prope Torquati Taſſi cineres cum hac inſcriptione.

D. O. M.

ALEXANDRO GUIDIO PATRICIO TICINENSI
LYRICÆ POESIS CULTORI CELEBERRIMO
ERUDITORUM LAUDIBUS URBIS PLAUSU
MAGNORUM PRINCIPUM
FAMILIARITATE ET HONORIBUS ILLUSTRI
QUI DUM MAXIMI
SANCTISSIMIQUE PONTIFICIS
CLEMENTIS XI.

SA-

SACRIS HOMILIIS ITALICO CARMINE DONANDIS
INCUMBERET
SUB ONERE SPLENDIDISSIMO
IN TUSCULANA CIVITATE
ACERBO INTERCEPTUS FATO
GLORIÆ POTIUS QUAM DIERUM PLENUS
OCCUBUIT
LUDOVICUS EX PRINCIPIBUS MIRANDULÆ
TIT. S. SILVESTRI IN CAPITE PRÆSB.
S. R. E. CARD. PICUS
APOSTOLICI PALATII PROPRÆFECTUS
ANNUENTE PONTIFICE
HUC USQUE TRANSLATO TUMULATOQUE
CORPORE
UT QUOD ILLE IN VOTIS HABUERAT
PROPE MAGNI TORQUATI TASSI CINERES
CONQUIESCERET
MONUMENTUM POSUIT
OBIIT DIE XII. JUNII MDCCXII.
ÆTATIS SUÆ AN. LXIII.

In hoc quoque Pontificis amor in Guidium cognitus est, quod cum per hosce dies ad eum venisset Bernardinus Perfectius, hunc ad canendas Guidii laudes extemporaneo carmine, in quo quantum is valeret nemo ignorat, invitavit. Quoniam autem vera laus uni virtuti debetur, magis quam Guidii præstantiam in poesi, ejus animi bona prædicare Perfectius visus est. Erat is quidem prudens, magnique consilii, affabilis, injuriarum patiens, erga omnes, ac præsertim amicos, egentesque, quantum ejus fortunæ patiebantur, liberalis; beneficiorum, si quis unquam alius, memor & gratus, parvoque contentus. Quo fiebat ut ejus observantia multis principibus viris esset carissima, cum eam officio, non spei tribui viderent. Luctabatur cum morte Christina Regina, & qui in ejus famulatu erant, ad eam accedebant, ut extremos illius liberalitatis fructus colligerent. Unus Guidius, qui nihil faciebat caussa sua, abfuit a morientis lecto; neque alia de re ulla cognitus est sollicitus, nisi ut suis, aliorumque precibus Deum illi propitium faceret.

ret . Deploravit vero orbitatem & casum tantæ Heroinæ, ut vel ipsa diuturnitas temporis nunquam sanare potuerit acerbissimum illius vulnus . Hoc quoque sit Guidii bonitatis exemplum , quod si æmulatione laudis cum aliquo concertasset, non tam id laborabat , ut illum superaret , quam intelligi cupiebat , illum a se & amari & observari . Atque utinam ut culpam , sic suspicionem superbi & contumacis animi evitasset. Nam eodem tempore quo se venerabatur , & beatus laudabat quidquid scribebat , hæc ipsa scripta doctorum non solum , sed etiam vulgi judicio subjiciebat , deque eorum sententia non pauca mutabat. Multarum rerum ignarus ne Græcam quidem noverat linguam . Cum igitur interpretum subsidio vix ad mentem Pindari penetrare posset , non tamen de se dicere verebatur :

Non è caro agli Dei Pindaro solo.

Etenim ei erat persuasum grave plenumque carmen cælesti aliquo mentis instinctu , non imitatione fundi solere ; neque effætam esse naturam, quin validos & grandes partus, ut

antea possit edere. Atque hic tantus vir ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore; gibbus, & cæcus altero oculo. Gravissima passus est incommoda valetudinis non tam propter gracilitatem, quam propter immoderatas exercitationes poeticas. Nam dum carmina componebat, nunquam se finire velle studia, & mentem recipere videbatur; *insenuitque*, similis Horatiano illi poetæ

Libris & curis, statua taciturnior exit
Plerumque, & risu populum quatit.

Opera Edita.

POESIE LIRICHE. *In Parma* 1681. *in* 12. Carminibus accedunt nonnulla soluta oratione scripta.

AMALASUNTA in Italia Dramma di Alessandro Guidi posto in musica da Gio. Battista Polici, e fatto rapresentare dal Serenissimo Signor Duca di Parma nel Teatro del Collegio de' Nobili l'an. 1681. *in Parma per Galeazzo Rosati in* 4.

ACCADEMIA PER MUSICA fatta nel Real Palazzo della Maestà della Regina Christina per festeggiare l'assunzione al trono di Giacomo II. Re d'Inghilterra in occasione della solenne ambasciata mandata da S. M. Britannica alla S. di N. S. Innoc. XI. versi di Alessandro Guidi Accademico Reale. In Ro-

ma

ma nella Stamperia della R. C. A. 1687.

L'ENDIMIONE di Erilo Cleoneo Pastore Arcade, cioè, Alessandro Guidi, con un Discorso di Bione Crateo, cioè Vincenzo Gravina; in Roma per Gio. Giacomo Komarek Boemo 1692. in 4.

LA DAFNE Cantata: Roma per Gio. Giacomo Komarek, 1692. in 4.

SEI OMELIE di N. S. Clemente XI spiegate in versi. Roma per Francesco Gonzaga 1712. in fol.

SCRITTURA in forma di memoriale contro il nuovo sistema de' pesi dello stato di Milano.

RIME. Roma pel Komarek 1704. in 4. Guidii carmina secundo edita fuerunt Veronæ, & tertio Venetiis cum ejusdem vita scripta a Mario Crescimbenio. Relatum etiam est in carminum volumen *Ragionamento di Erilo Cleoneo in morte di Ranuccio Farnese Duca di Parma recitato nel Bosco Parrasio a' 12. Giugno 1695.*

Postquam recensuimus, quæ reliquit, opera Guidius, locus fortasse fuisset recensendis clarorum virorum de illo testimoniis, ut nostra sententia de ipsius præstantia in poesi majorem auctoritatem haberet. Sed cum id nimis longum esset, satis erit indicasse non vulgaria eidem præconia tribuisse vel ejusdem æmulum Benedictum Menzinium, Nicolaum Cicognarium, Joannem Baptistam Cottam, Antonium Dominicum Norsiam, Paullum Antonium Appianium, Ludovicum Antonium Muratorium, Gregorium Caropresium, qui commentariis illustravit ejusdem oden de Arcadiæ legibus, Alexandrum Burgos, Joannem Baptistam Zappium, & ut alios multos prætermittam, Marium Crescimbenium, & Petrum Jacobum Martellium, qui duo postremi ejusdem etiam vitam Italice scripsere. Quid vero sentiret Martellius de Guidio elegantissime exposuit in quodam suo de arte poetica sermone, hæc scribens;

Ma il Guidi ognor su l'appollinea soglia
Cento alati cavalli al freno ha pronti,
Per farsi alto levar dovunque ei voglia.

Ei pur degl'incredibili ne' fonti
Bee l'immogini elette, a cui vuol fede,
Quasi Uom, che il vero ed infallibil conti.

E se a lui credi, ei di se stesso il crede,
Parla e sente di se qual d'un, che i cieli
Scelsero a por di là da morte il piede;

A squarciar dell'obblio su i nomi i veli,
A star del mondo a ragionar coi fati,
De' quai gli ordini eterni Ei sol riveli.

Rapito il miri in su le vie de' Vati
Trattar le nubi, e dietro a se la traccia
Per grand'aria lasciar di lampi aurati.


E parlar con le Muse a faccia a faccia,
E gir sicuro infra gli Dei sin dove
Mormora il tuono, il fulmine minaccia.

E con la lingua, che imparò da Giove,
Cantar di Roma i maestosi avanzi
De' figli antichi suoi l'eroiche prove.

So-

Sogni d'infermi, e fole di Romanzi
E pur mercè de' carmi suoi le accolgo
Sacre, come a me sacro il ver fu dianzi.

Fiso a novi suoi canti a me mi tolgo;
Nè sò come sublime e chiaro uom possa
Parlar da Nume, e che l'intenda il volgo.



BENEDICTO STAYO

ANGELUS FABRONIUS. S.P.D.

AN me existimas ab ullo malle mea legi probarique quam abs te? Ego certo scio quam parum ingenio, doctrina, scribendique elegantia valeam: alacrior tamen sum factus ad institutum opus persequendum, postquam cognovi me habere te & suasorem, & probatorem industriæ meæ. In quo si humanitatem magis quam severum judicium tuum agnoscere debeo, hac saltem re solabor tenuitatem meam, quod sciam me a te plurimum amari, tuorumque in numero esse. Quod me admones, ut scribam de Alphonso Borellio, ampla quidem & bella materies est. Quis enim est qui ignoret, nemini in Geometria ceterisque in mathematicis disciplinis Borellium secundum fuisse, eique in primis referri acceptam immortalem gloriam, quam sibi merito acquisivit Florentina Academia ab experiendo dicta del Cimento? *Nec solum nota, sed etiam plurima pene sepulta oblivionis*

nis tenebris de illo me prolaturum confido, quæ magis magisque singularem hominis doctrinam patefacient. Sed opus hoc in illud tempus differendum putavi, quo illustriorum quorundam virorum, qui in Academia Pisana floruerunt, vitas explicare decrevi; quod munus me debere arbitror non magis nobilitati Academiæ, quam summo meo in illam studio. Ornatus enim ejusdem Præfectura, quod non sine verecundia, intimoque animi grati sensu erga Principem beneficentissimum effero, perverse abuti otio viderer, ni quidquid possum totum in illius commodum laudemque conferrem. Interea dum colligo & contexo, quæ spectant ad Borellium, habebis vitam alterius mathematici, Laurentii scilicet Lorenzinii, qui doctrina in geometricis rebus æquare se Borellio potest, ut illi se æquavit acerbissima, quam pertulit, fortuna. Sed fortuna fortasse in Borellio certavit cum perversa natura, ut difficile sit judicare, utrum is asperior, novarumque rerum cupidior, an infelicior fuerit: quare fecit ut vere dictum videatur: Sui cuique mores fingunt fortunam.

Verum quæ subiit mala Lorenzinius, non perversitati, sed imprudentiæ, aut fortasse necessitati assignari debent; ex quo fit, ut magis doleamus hominis spectatissimi vicem, quæ non tam sibi, quam mathematicis disciplinis fatalis fuit. Nam si libera, tranquilla ac quieta vita ei frui contigisset, plurimis certe utilissimisque inventis easdem disciplinas pro admirando suo ingenii acumine locupletasset. Tu modo fac, optime Stay, quod sane erit humanitatis tuæ, ut pauca illa, quæ de Lorenzinio scripsi, emendentur abs te, qui omnium judicio es hominum in mathematicis & philosophicis rebus doctorum elegantissimus, & elegantium doctissimus. Quod quidem plura demonstrant a te in lucem emissa, sed præsertim quæ de Cartesiana, & Recentiorum philosophia carminibus Latinis exposuisti. At non minus, cum haud philosopharis, intelligimus quam in mathematicis studiis sis versatus. Sic enim persuadendo non solum, sed etiam cogendo ad veritatem prope compellis; sic instruis, digeris, atque componis ea, quæ vel scripto, vel voce explicas, ut hæc profluxisse

se

ſe ex mente in Geometria aſſidue exercitata (illa enim duo præſertim ſibi vindicat hæc ſcientia) ſatis appareat. Omnino, ut eſt præclarum Galilei dictum, uſuvenire ſolet Geometris, quod iis qui choreas agere, & ad numerum ſaltare aſſueverunt. Quamvis enim intimis ſaltationis præceptis in inceſſu non utantur, tamen ex ipſo totius corporis motu patet, an ſaltare didicerint. Vale.

Romæ Id. Sextilis MDCCLXX

LAURENTIUS LORENZINIUS.



AURENTIUS LORENZINIUS Florentiæ natus eſt III. Non. Quintilis an. MDCLII. veteri & honeſta familia, quæ e Monte Carlo illuſtri Etruriæ oppido oriunda in Florentinam civitatem jamdiu ſuſcepta fuerat. Laurentii pater Antonius Franciſcus in mediocribus quidem juris conſultis, ſed in optimis patribus familias habitus eſt; mater vero Maria Leonellia, ſoror Leopoldi Leonellii e S. J. inſignis Theologi, ipſa quoque fuit & proba-

batissima & diligentissima femina. Parentum cura Laurentius bene & honeste in bonis disciplinis educatus fuit per omnem pueritiam, ex qua ut excessit ductus est ad Vincentium Vivianium. Vidit statim indolem Vivianius, neque tempus dimisit; adolescentulumque est cohortatus, ut mathematicum pulverem haberet quasi campum, in quo se exerceret. Id se facturum Laurentius confirmavit, neque est credibile quantum & quam brevi, & Vivianio & natura duce, in Geometria processerit. Quantum autem Vivianius illum admiraretur & diligeret ex iis, quæ scripsit in præfatione libri, cui titulus, *Enodatio problematum propositorum a Claudio Comiers* (a) intelligi potest. Erat non tam sanguine, quam indu-

(a) Hæc Vivianius. *Aliquot ab hinc mensibus vulgata jam erat appendicis loco ad quemdam libellum, cui titulum posueram,* Diporto Geometrico *tentamenta varia per modos lineares, aut si ita appellare libeat, mechanicos ad angulum data ratione secandum, cum ecce spectatæ probitatis, acerrimique ingenii vir Laurentius Lorenzini ad geometricas plane factus meditationes quadam die ad me cum venisset, ac familiariter de rebus ad mathesin spectantibus, ut inter nos solet, colloqueretur, certiorem me faciens de*

induſtria & in litteras amore Laurentio conjunctus ejus frater natu minor Stephanus Lorenzinius. Sed hic præſertim ferebatur in Medicinam & Anatomen, ſine qua Medicina eſſe non poteſt. In illa facultate præceptorem habuit Redium, in hac Stenonem & Fynchium, qui cum ſæpe convenirent in Florentinum Noſocomium S. Mariæ Novæ, ut ibi anatomicas obſervationes ſecreto haberent., harum non niſi Stephanum participem faciebant, ejuſque opera in incidendis cadaveribus utebantur. Sed quam ſolers & acutus eſſet Stephanus naturæ inveſtigator, ex ejus libro cognoſci poteſt, quem inſcripſit: *Oſſervazioni intorno alle Torpedini*, quemque an. MDCLXXVIII. in vulgus edidit. Scio fuiſſe pleroſque, qui dictionis elegantiam, qua liber hic conſcriptus eſt, Redio tribuendam eſſe putarunt. Sed de hac re nunc minime quæ-

de cujuſdam problematis propoſitione, quam recens in Pariſina (ut vocant) ephemeride Litteratorum inter legendum obſervaverat, ac pro qua ſolvenda neceſſaria, ut eſt, ei videbatur anguli triſectio, occaſionem mihi præbuit una ſimul & hoc Gallicum problema ſolvendi. Alia retulit Vivianius Lorenzinio honorificentiſſima, quæ omittenda putamus.

quaero. Quod unice contendo illud est, Stephanum fuisse virum excellenti doctrina, huncque socium fuisse Laurentio ad domesticam gloriam acquirendam. Neque solum gloriae sensus, qui in ipsa natura positus & infixus est, ad praeclara suscipienda utrumque inflammabat, sed etiam spes praemiorum, quae sibi pollicebantur a Ferdinando Mediceo Cosmi III. filio, cujus in famulatu erant, & a quo plurimum diligebantur. Sed incidit casus (periculosa enim ac lubrica est Aula) qui eos praecipites egit, & in capitis usque discrimen adduxit. Divortium fecerat Cosmus cum Margarita Aloysia Borbonica Aurelianensis Ducis filia; eaque, cum in Galliam rediisset, carebat aegrius Ætruria, principatu, & liberis. Vicem suam, credo, ut ulcisceretur, alienare a patre tentavit Ferdinandum, magnas honorificentissimasque ei spes offerens si in Galliam demigraret. Litterae autem, quae haec continebant, ne aut interciperentur, aut aperirentur inscribebantur alterutri fratrum Lorenziniorum, a quibus illas Ferdinandus accipiebat. Rescivit haec

hæc omnia Cofmus ; excandenſque ira in Lorenzinios, hos comprehenſos xv. Kal. April. an. MDCLXXXI. media ferme nocte, dum ab Aula domum redirent, juſſit in Volaterrarum arcem deduci, & in altiſſimam turrim ſeparatim detrudi. Ut levaret carceris ægritudinem Laurentius, libros mathematicos popoſcit, conceſſoſque cum in manus perveniſſent illius, qui arci præerat, ut vidit multitudinem linearum, judicavit ſtatim magicos eſſe libros, & magiæ deditum eſſe Laurentium. Pertimeſcens ergo fraudem & malum ab hujuſmodi libris, & ab hujuſmodi arte, ſevere Laurentium increpavit, eique omnem librorum uſum interdixit. Quæ res ut tum auxit illius calamitatem, ita poſtea valuit ad ejuſdem gloriam amplificandam. Nam cum ſe totum contemplationi & ſcriptioni rerum mathematicarum dediſſet, verens ne quæ didicerat memoria exciderent, duodecim compoſuit libros, quibus ſectionum conicarum & cylindricarum, earumque ſolidorum doctrinam tanta ſubtilitate, tamque felici & generali methodo complexus eſt, ut Scripto-

tores Actorum Lipsiensium, & Christianus Wolfius vere de iis prædicaverint vel ipsa Apollonii & Vivianii inventa superasse (a). Quale autem ipse de suis hisce scriptis judicium fecerit, indicat epistola, quam ad Stephanum & Joannem Baptistam fratres suos carissimos scripsit, ut opus hoc suum illis commendaret, cujusque nos infra subjiciemus exemplum (b). In his libris undecim consumpsit annos, post quod tempus nescio

(a) Vide Acta Erudit. an. 1723. VVolfius vero in Tom. V. de præcipuis Script. mathematicis cap. 3. §. 22. hæc habet de Lorenzinio. *Cum viginti annos in vinculis duro fato detineretur ab omni commercio cum hominibus litteratis remotus, nullius libri usu concesso, methodum istam (id est antiquorum) excoluit, & XII. libros de sectionibus conicis & cylindricis, earumque solidis conscripsit, ultra Apollonii & Viviani inventa progressus.*

(b) *Lorenzo Lorenzini a Stefano e a Gio. Batista suoi amatissimi fratelli Salute.*

Questo trattato geometrico, che troverete distinto in dodici libri fu da me compilato nel tempo, ch'io dimorava nella fortezza di Volterra, e mi riuscì di condurlo a quel segno, che egli è senza comodità di libri, come voi ben sapete, il che mi dà motivo di rigguardarlo con qualche affetto, e di raccomandarvelo con qualche premura, acciò procuriate che non vada a male, e non trovi per avventura qualch'uno,

che

ſcio qua in re calamitoſum otium contriverit. Non jacuit profectò in lamentis & luctu, cum eſſet admirandum in modum patiens & conſtans. Revocatus tandem viginti poſt annos ad vitæ, ut ita dicam, uſuram, impenſius coluit priſtina ſua ſtudia. Dolebat autem ſerius aſpexiſſe immenſam lucem, quam Leibnitius, Nevvtonus, Bernullii fratres aliique, invento jam calculo differentiali & integrali, in Geometriam non ſolum, ſed & in univerſam Matheſin ſparſerunt, ut novam ſcientiam effecerint. Non du-

che ſe lo addotti per proprio figlio; ma che almeno rimanga in mano di perſona di tutta integrità, poichè ſebbene può eſſere, che vi ſieno coſe ſpeculate da altri, tutta volta non ſo ſe niuno le abbia trattate in quella guiſa, che è riuſcito a me nelle ſopradette congiunture. Io ſo che in oggi ſi battano altre ſtrade nelle ſpeculazioni geometriche, e conſeguentemente poſſono riuſcire non molto gradite le vie da me preſe; ma non è per queſto che non ſe ne ricavi molta utilità. So ancora che vi poſſono eſſere degli errori commeſſi nel traſcrivere; ma mi do a credere che non ſaranno tali, che non poſſino eſſere ammendati da chiſiſſia verſato in ſomiglianti ſpeculazioni; e in ſomma merito qualche compatiment per aver tutto fatto con i proprj ſudori. Duodecim hi libri cum ceteris Lorenzinii ſcriptis aſſervantur Florentiæ in Maliabechiana bibliotheca.

dubitabat enim quin si illorum inventa, antequam in illam ærumnam incidisset, pro diissent, acerrimo suo ingenio multa iis addere potuisset, quæ occupatam ab aliis gloriam antevertissent. Qua de re cum sæpe querereretur cum Guidone Grandio (similitudo enim studiorum maximam inter eos conciliaverat amicitiam) videbatur desperare se ad aliquam laudem posse pervenire. Sed quo difficilior erat ejus instituta ratio synthesin provehendi, hoc præclarior. Provexit autem eo; quo illa vix pervenire posse videbatur. Huic rei præter libros, quos supra commemoravi, argumento esse possunt Exercitationes sex Geometricæ ab eo relictæ, quibus ita perscrutatur & investigat dimensionem, descriptionem, proprietates omnium conicarum sectionum; sicque agit de infinitis parabolis, hyperbolis, logisticis, cissoidibus, spiralibus, ellipsoidibus, hyperboloidibus, aliisque hujus generis rebus ad sublimiores curvas, superficiesque ac solida ab iis genita spectantibus, ut multa ab aliis nondum excogitata protulerit, multoque plura

no.

nova ſubtiliorique methodo expoſuerit. Quare minime eſt mirandum ſi Grandius in libro *de Infinitis infinitorum & infinite parvorum ordinibus* eo loci, quo de logaritmis quadratis agit, plurimum ſe optare dixerit, ut *inſignis Geometra Laurentius Lorenzini, qui de iiſdem logaritmis quadratis egregium tractatum conſcripſit, cum aliis tractatibus res geometricas accuratiſſime & profundiſſime illuſtrantibus typis aliquando committeret*. Grandii aliorumque votis ut ſatisfaceret Laurentius ad opus ſe admovit: ſed, nondum abſoluta impreſſione prioris Exercitationis, ille ceſſit e vita. Adfuit tamen Joannes Bottarius, qui ſe debere hoc munus ſtudioſis Geometriæ, & ſingulari ſuæ in Lorenzinium amicitiæ putavit, ut de eadem impreſſione non ſolum perficienda, ſed etiam adornanda tum eleganti præfatione, tum Latina epiſtola acutiſſimi Geometræ Cæleſtini Rollii e Cæleſtinorum familia ſollicitus eſſet. Complectitur autem hæc Exercitatio, ut de ea nonnulla ſingillatim dicamus, ſectionum conicarum ac ſolidorum ab ipſis circa axes ſuos

revolutis genitorum dimenſiones; unica enunciatione indicat centrum gravitatis cujuſcunque corporis a qualibet ſectione conica vel cylindrica circa ſuum axem revoluta geniti, fruſtique cujuslibet ab ipſo reſecti; demonſtratque demum una & altera enunciatione quam rationem habent eadem corpora cum cylindris circumſcriptis, quamque habent inter ſe momenta eorundem corporum centro appenſorum in ipſo axe, cujus fulcrum ſit in alterutra ejus extremitate. Ex hac prima Exercitatione de præſtantia ceterarum, quæ minime in apertum prodiere, quamvis rerum pondere & inventione illam antecellant, conjectura fieri poterit, non ſecus ac Pythagoras ex planta pedis Herculis magnitudinem vere conjecit. Qui vero omnes legat, facile judicabit Geometriam linearem Analyticæ vel in reconditiſſimis inveniendis rebus nihil, aut parum admodum concedere. Atque hoc in primis fuit admirabile in Lorenzinio, quod per Synteſin pervenire potuerit ad ſolutionem cujuſdam problematis, quo ope Analyſis niſi per æquationem quinque

que dimensionum perveniri minime potest. Problema autem erat hujusmodi: invenire conoides parabolicum, quod minimam omnium habeat superficiem eorum, quæ eidem sphæræ, & ad eundem cum ipsa axem circumscribi possunt, planoque ipsam sphæram ad imum sui punctum contigente terminantur. Quod si in hoc præsertim gloriabatur Archimedes Geometrarum omnium facile princeps, quod sphæræ superficiem quadruplam esse circuli ejus maximi compererit, ut eam in summo sui ipsius sepulcro, sicuti Tusculanarum V. testatur Cicero, cum quibusdam senariolis, qui hoc declararent, poni curaverit, magis est quod glorietur Lorenzinius, qui non alia, quam Archimedes, usus investigandi ratione vel minimam superficiem conoidis parabolici dimensus est, quod profecto Archimedea sphæricæ superficiei dimensione longe est difficilius, longeque abstrusius. Solutionem hujus problematis retulit ille in adversaria, in quæ conjecit etiam multa pertinentia ad eas lineas, quas Cartesius geometricas, Leibnitius algebraicas appellat,

 qua-

quarum nonnullas ex sectione solidorum ingeniose deduxerat. Sed hæc, antequam e vita decederet, in ignem conjecit, quod nolebat quidquam extare, quod in suo genere minime perfectum esset. Quamvis autem Lorenzinius Syntesin unice excolere voluisse videretur, non tamen Analysin contempsit; laudabatque illorum industriam, qui in geometricis problematibus sequerentur & hoc perutile inveniendi, & illud acutum demonstrandi genus. Analysis vero studium quoniam senior arripuerat, idem quod Catonem se fecisse dicebat, qui Græcas litteras in senectute didicit, quod non videbantur sine dedecore illa ignorari posse, quæ omnes in pretio habebant. Hactenus de studiis & doctrina Lorenzinii: nunc de moribus ejus nonnulla proferemus, ex quibus non minus virtutibus, quam doctrina ipsum fuisse admirandum apparebit. Summa fuit in ejus victu temperantia, cujus exemplum a communi parente natura nos petere debere dicebat, cum quotidie ab ea doceamur quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus. Solitu.

litudinis amans ſemper averſatus eſt oblectamenta illa, quæ vulgus hominum ſequitur. Illi vivere erat cogitare, atque elaborare in iis litteris, quibus ducimur ad veritatem cognoſcendam. Non acerbus, non litigioſus, non acer, nullique diſciplinæ addictus libabat ex omnibus quodcunque ſpecie veritatis illum moveret. In omni re moderatus, ſapiens & fortis ſemper obedivit veteri illi præcepto:

Neque enim lætabitur unquam, neque mœrebit nimis,
Quod ſemper in ſe ipſo omnem ſpem reponet ſui.

Sic cum ſua non Stoico, ſed Chriſtiano more ſe ſuſtentaret virtute, nulla unquam perverſa fortuna labefactari potuit illius conſtantia, ſemperque in ejus animo fuit placidiſſima pax. Nemini adoleſcentium mathematicarum rerum ſtudioſorum domum ſuam clauſit, facile ut appareret nihil magis illum velle, quam præſtantem ſuam doctrinam in communem utilitatem conferre. Qui vero cum eo verſabantur nunquam ſatis laudare poterant conditam comitate gravitatem; nec ſe-

nectus mores mutaverat. Quamvis gloriæ stimulum, ut sunt a natura omnia præclara ingenia comparata, sentiret, non is tamen erat, ut sua efferret, quin immo de iis semper modestissime loquebatur. Laboriosus, justus, integer & religiosus nil concupiscere & sequi præter sapientiam videbatur. Ita

Ille vir haud magna cum re, sed plenus fidei

diem obiit supremum VII. Kal. Majas MDCCXXI. Sepultus est in Florentino templo S. Michaelis ad Antinorios. Monumento autem hæc leguntur inscripta.

D. O. M.

D. O. M.

JULIO BENEDICTO J. C.

ET LAURENTIO

ANTONII FRANCISCI J. C. PIISSIMI VIRI

FILIIS LORENZINIIS

QUORUM ILLE

ELEGANTIORUM LITERARUM AMATOR

ET FAUTOR

HIC

VINCENTII VIVIANI DISCIPULUS

IN GEOMETRICIS TOTA VITA SE EXERCUIT

UT NON PAUCA RELICTA AB EO

HUJUS GENERIS SCRIPTA TESTANTUR

STEPHANUS LORENZINIUS

OPTIMIS FRATRIBUS

ET DE SE BENE MERITIS

MONUMENTUM HOC A. S. CIƆIƆCCXXI.

Opera Edita.

EXERCITATIO GEOMETRICA in qua agitur de dimensione omnium conicarum sectionum, curvæ parabolicæ, curvæque superficiei conoidis parabolici, & præcipue unica enunciatione indicatur centrum gravitatis tam cylindri quam solidi circa axem cujuslibet ex prædictis sectionibus geniti a segmento existente inter duas ordinatas; & unica itidem enunciatione habetur relatio ipsius solidi ad cylindrum; & unica itidem enunciatione declaratur quam proportionem habeant inter se momenta hujusmodi solidorum centraliter appensorum in ipsa axe, cujus fulcrum sit in alterutra ejus extremitate: Auctore Laurentio Lorenzinio Vincentii Viviani discipulo. Florentiæ 1721. typis Regiæ Celsitudinis apud Cajetanum Tartinium & Sanctem Franchium in 4.

Opera Inedita.

DE SECTIONIBUS CONICIS ET CYLINDRICIS ET EARUNDEM SOLIDIS LIBRI XII.

EXERCITATIONES V. GEOMETRICÆ quarum I. agit de infinitis parabolis, hyperbolis, & logisticis;

—— II. de elipsoidibus & hyperboloidibus;

—— III. de cissioidibus;

—— IV. de proprietatibus variarum arearum, earumque descriptione;

—— V. de parabolis, logisticis, spiralibus, earumque descriptione.

SOLUTIONES variorum problematum ac lematum ad sectionum conicarum proprietates spectantium.

Hæc omnia quatuor voluminibus continentur, quæ JoannesBaptista Lorenzinius Laurentii frater Magliabechianæ bibliothecæ dono dedit an. MDCCXXXII. V. Kal. Septemb.

PHILIPPUS BONAMICIUS

ANGELO FABRONIO S. P. D.

Gaudeo magnopere, ac miras tibi habeo gratias, Fabroni optime, quod me vehementer hortatus sis, ut Joannis Vincentii Lucchesinii civis mei ac de me optime meriti vitam conscribendam susciperem, illiusque memoriam posteritati diligentissime commendarem. Cum enim nihil malim, quam memorem me gratumque cognosci, tu profecto currenti, ut ajunt, stimulos addis, dum postulas, ut illius nomen scriptis illustretur & celebretur meis, cujus summa in me beneficia extitere. Nam cum nescio quid ex meis Latinis elucubrationibus olim perlegisset, adeo vir humanissimus ea lectione delectatus est, ut me statim Romam acciverit laborum comitem atque adjutorem suorum, viamque mihi tam illustri commendatione munierit ad eum honoris gradum, quem CLEMENTIS XIV. P. O. M. *beneficentia sum consecutus. Dum itaque hac in re voluntati tuæ perlibenter obtem-*

obtempero, meæ maxime morem gero. Ac revera ſine ullo ſuaſore atque impulſore hoc a me grati animi officium eſſet jamdiu perſolutum, ſi a mea quadam jam obfirmata opinione atque ſententia deduci antea potuiſſem. Sic enim exiſtimabam, non omnium illuſtrium virorum e re publica eſſe, ut vita monimentis litterarum tradita prolixius explicetur. Nam cum alii aut temporibus & publicis excluſi negotiis, aut voluntate ſua otium ſecuti ætatem omnem in humanioribus ſtudiis conſumpſerint; alii conſilio, virtute, fide patriæ præſto fuerint, ac publicæ ſaluti, dignitati, amplitudini aut in bellis adminiſtrandis, aut in tractatione rerum maximarum conſuluerint; alii denique (quod eſt maxime rarum) utrumque præſtiterint, ac ſcribenda ſtrenue ſapienterque geſſerint, & legenda ornatiſſime ſcripſerint; ad primum genus hominum quod attinet, ſemper ea mente fui, ut cum de illorum eruditione ſcriptiſque judicium interpoſueris, nihil præterea memoriæ mandari oporteat, niſi ineptias meras, aut res leviſſimas atque uſitatas ad legentium faſti-

ſtidium perſequi velis. Cum enim abditi litteris nullam publici muneris partem attigerint, nullus illis aditus patuit, quo virtutes quaſdam magnificas ac populares expromerent, quæ cum perleguntur, admirationis obtinent plurimum, magnoque poſteris ad bene de re publica merendum incitamento eſſe poſſunt. Illa præterea vitæ æquabilitas atque conſtantia, qua, qui ſtudiis vacant, maxime delectantur, quanquam non mediocri commendatione digna ſit, ea tamen rerum ac viciſſitudinum varietate caret, quæ legentium animos allicere ac retinere cum voluptate poſſit. Hæc, mi Fabroni, a deſcribenda Lucchesinii vita tamdiu probibuerunt verentem ſcilicet ne, dum privato grati animi officio ſatisfacerem, nimis intemperanter abuti viderer otio & litteris, cum jampridem hominem laudaſſem in oratione illa funebri, quam tum primum emiſi in manus hominum teſtem animi amoris & obſevantiæ erga illum meæ, & mox iterum edendam curavi Dialogo adjunctam, ubi de claris Pontificiarum epiſtolarum Scriptoribus Lucchesinium copioſe accurateque differentem indu-

induxi. Nunc vero cum tua auctoritas & gravissima cohortatio accesserit, non patiar tantum virum aut a societate doctorum hominum, quorum tu vitas pulcherrime describis, quasi divelli ac distrahi, aut alienis scriptis potius quam meis exornari. Malo etiam cetera omnia, quam benevolentiam erga te meam, si minus auctoritati tuæ obsecutus sim, desiderari. Cumque in hac conscribenda historia magnitudine ac varietate rerum deferamur, brevitate ipsa legentium satietati occurrere diligenter conabimur. Sed antequam ad scribendum aggrediar, patere, quæso, ut tibi maximopere atque ex animo gratuler, quod in nobilissimo Etruscorum Equitum Ordine, inter quos vel tantummodo percenseri honorificentissimum existimatur, recenti beneficio Principis (cui placuisse non ultima tua laus est) dignitatem amplissimam sis consecutus. Macte igitur virtute, Fabroni clarissime; veramque gloriæ viam, quam jamdiu ingressus es, constanter persequere. Vale.

JOAN-

JOANNES VINCENTIUS LUCCHESINIUS.



OANNES VINCENTIUS LUCCHESINIUS Lucæ natus eſt IV. Kal. Quintilis A. D. MDCLX. ex pervetuſta patriciaque familia ; quo numero qui ſunt in ea Republica (quæ optimatum eſt) ſummam imperii adminiſtrant. Majores ſui privatis æque ac publicis laudibus floruere . Optimarum enim artium ac litterarum ſtudia huic ingenerata familiæ videntur eſſe, ut ne fœminæ quidem ejus gloriæ expertes fuerint. Eoſdem vero ſæpe Reſpublica adhibuit maximis difficillimiſque Legationibus obeundis , quæ cum præſidia ſtabilitatis ſuæ a pacis artibus magis, quam belli repetat , id muneris nonniſi viris ingenio, conſilio, ac rerum gerendarum ſcientia præſtantibus deferre ſolet. Quo factum, opinor , eſt , ut dum ceteræ Etruſcorum Reſpublicæ funditus interierint , ipſa quanquam opibus & ditionis amplitudine minus valeret , ſemper tamen a maximis ſe periculis feli-

feliciter explicarit , atque ad hanc usque diem non sine omnium admiratione dignitatem ac libertatem suam egregie tueatur . Scipio pater excellentis vir ingenii atque doctrinæ , & domi forisque in maximis Reipublicæ negotiis sæpe ac diu versatus nihil habuit antiquius , quam ut puer ad avitam familiæ laudem educaretur . Ac primum quidem privato doctore usus est , ut prima artium rudimenta perdisceret , quibus ætas puerilis informari solet ; sed non multo post a privata domi institutione ad publicam Senas traductus est ; qua in nobilissima Etruriæ urbe per id tempus recens Collegium institutum fuerat (quod a Ptolomæi fundatoris nomine Ptolomæum dicitur) quo adolescentes nobiles ad omnem humanitatem informarentur , ut optimum pueri ingenium jam domi exploratum æqualium æmulatione acueretur etiam magis , qua de caussa privatæ publica institutio præstare creditur . Neque vero ea spes parentes fefellit . Vix enim credibile videtur , quam celeriter in omni doctrina profecerit . Erat enim in puero præter mi-

ram

ram ingenii docilitatem, qua quæcunque tradebantur facillime corripiebat, summa etiam diligentia, qua præstabat omnibus. Cum itaque Senis id studiorum curriculum, quod in collegiis tradi solet, quam celerrime absolvisset, Pisas adhuc adolescens se contulit, ut in celeberrimo ejus urbis Lyceo, postquam Senis Oratoriæ ac Poeticæ facultati, Philosophiæ ac Theologiæ operam dedisset, Juris prudentiam ac Mathematicas disciplinas excoleret. Dum tamen hæc nova studia prosequebatur, vetera non neglexit, atque ea præcipue, quæ ad humanitatem spectant. Fuit enim Adriani Belgæ, & Alexandri Marchetti virorum in eodem Lyceo eloquentia præstantium assiduus auditor, ac doctissimorum hominum, qui in ea urbe frequentes sunt, consuetudine unice delectabatur. Cum itaque tam multiplici reconditaque eruditione esset instructus, Florentiam accitus est a patre, qui apud Magnum Etruriæ Ducem Lucensis Legati munere defungebatur; ibique sub illius disciplina politicas res attigit, atque una cum patre in maximis Reipubli-

cæ

cæ negotiis est summa cum laude versatus. Sed cum Ecclesiasticæ vitæ rationem jam a pueritia susceptam persequi decrevisset, Romam proficisci statuit, quo Ecclesiasticis præsertim viris apertior est cursus ad laudem. Itaque bona cum patris venia eo se contulit, regnante Pontifice Innocentio XII. cui a Magno Etruriæ Duce commendatus diligentissime fuerat. Ea tamen Magni Ducis commendatio non tam verecundo juveni profuit, quam obfuit modestia. Romæ enim in petendis honoribus non modo semper, ut cursus cursu, ita virtute virtus superatur, sed persæpe accidit, ut arrogantia atque importunitate hominum imperitorum & insignia virtutis & præmia auferantur. Quapropter Lucchesinius serius ad honores pervenit, quam illius dignitas & eruditionis præstantia, & vitæ probitas flagitare viderentur. Dum tamen se in occulto continuit, idoneum tempus nactus est studiis obsequendi suis. Cum Latinis etiam Græca conjunxit, ut difficile dictu sit, in utra facultate plus deinde excelluerit. Frequentabat autem eos hominum

num cœtus, quos studiorum honestissimorum societas, similitudoque morum sibi copulaverat. Cum autem quamdam Demosthenis orationem, quam exercendi ingenii, stylique acuendi caussa Latine verterat, in hujusmodi doctissimorum hominum conventu recitasset, tanto omnium plausu excepta est, ut ad aures Clementis XI. Summi Pontificis litterarum, & litteratorum hominum studiosissimi fama pervenerit; qui hominem ad se acciri jussit, ejusque ingenio & eruditione adeo delectatus est, ut statim multa in eum beneficia contulerit, ac multo plura pollicitus sit. Idem Clem. XI. Lucchesinio auctor fuit, ut ceteras Demosthenis de Republica orationes Latio donaret; neque quicquam deinceps Lucchesinius antiquius habuit, quam ut summo studio atque alacritate tanti Pontificis auctoritati voluntatique obsequeretur. Itaque orationes XII. Latine vertit, auxitque eruditissimis adnotationibus, quibus totius veteris Græciæ atque Atheniensium in primis Reipublicæ historia maxime illustra-

 tur.

tur. Quo difficillimo labore cum feliciter perfunctus esset, opus in lucem edidit, eidemque Summo Pontifici jam de se optime merito inscripsit consecravitque. Pergratum Clementi XI. intelligenti eloquentiæ æstimatori, perque jucundum accidit litterarium Lucchesinii munusculum, illique statim ducentos viginti nummos aureos pendi quotannis jussit; effecitque non multo post, ut ejus opera in scribendis Latinis litteris uteretur Cardinalis ille, quem *Secretarium statu*s vocant. Huic muneri illud adjunctum est, ut Latine etiam ad universi orbis Episcopos rescribatur, qui sapientissimo Sixti V. decreto de statu suæ quisque Diœcesis certiorem tertio quoque anno Pontificem Max. faciunt. In hoc mediocri munere versatus diu est non mediocri cum laude Lucchesinii labor. Neque vero, nisi qui in Romana aula sit plane hospes, tantum virum tam sero ad ampliores honorum gradus pervenisse mirabitur, si intelligat Lucchesinium a Juris prudentia, atque ab omni forensi disciplina, cui liberior patet ad gratiam, ad opes, ad di-

dignitates curſus, ſemper abhorruiſſe, ut vulgo ſolent, quibus in amore ſunt politiores litteræ, maluiſſeque uberrimis Juris prudentiæ fructibus, quam pulcherrimarum artium ac ſtudiorum ſuavitate carere. Neque tamen non eos ſemper coluit, quibus conjuncta ineſſet cum Juris prudentia, liberali homine digna eruditio; inter quos maximi ſemper fecit Lanfredinium Cardinalem, qui ætatis ſuæ juris peritorum eloquentiſſimus, atque eloquentium juris peritiſſimus appellari vere poteſt. Hunc Luccheſinius conſuetudine ſua ſic ſibi devinxerat, ut nemo illi fuerit carior; cumque propter quotidianas occupationes minus ſæpe, quam vellent, mutuis colloquiis frui poſſent, nullus ferme dies intercedebat, quin ſibi mutuo Latine ſcriberent. Erat Lanfredinius Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a *Secretis*; cujus eſt, propoſitis in utramque partem rationum momentis, quæcumque de Jure Eccleſiaſtico in diſceptationem cadunt, ad Patres Latine ſcripta referre. Hujuſmodi Lanfredinianas quæſtiones ſi quis perlegerit, fa-

teatur necesse est, veram germanamque eloquentiam cum Juris Ecclesiastici prudentia posse egregie conjungi, quique aliter sentiant, eos infantiam suam huic facultati vitio vertere. Hujusmodi tamen Latine perscriptas quæstiones, modo quas commemoravi, nolebat Lanfredinius emitti in manus hominum, nisi prius semel & iterum cum Lucchesinio communicasset. Sed præter juris scientiæ fastidium huic non mediocri etiam impedimento fuit ad ampliores citius honores consequendos summa ejus modestia, qua litteris abditus sibi vacabat, atque a concursationibus, prehensationibus, ceterisque aulicis artificiis, quibus, qui fortunæ velificantur suæ, uti necesse est, omnino abhorrebat. Cum itaque in hoc munere diu hæsisset Lucchesinii fortuna, a Pontificatu scilicet Clementis XI. ad obitum ferme Clem. XII. tandem aliquando anno ætatis suæ LXXVI. ad Pontificias scribendas epistolas, quas Brevia ad Principes vocant, accitus est. Nihil tamen propius fuit, quam ut certorum hominum importunitas atque ambitio hunc Lucchesinio

hono,

honorem præriperet atque occuparet. Sed vir clarissimus Bottarius, qui cum ipse eruditissimus sit, de aliorum eruditione atque doctrina verissime judicat, prolixe egit cum Cardinali Nereo Corsinio Clem. XII. fratris filio, cujus tum summa erat auctoritas, ut ne quempiam pateretur Lucchesinio in honore præferri, qui omnes & doctrina & Latina maxime facultate antecelleret. Hac Bottarii commendatione Lucchesinium graviore licet ætate affectum Cardinalis omnibus prætulit; ac perinde aliqua ipse in culpa esset, quod tamdiu tanti viri nulla pro dignitate ratio habita esset, palam testatus est, curaturum se, ut a patruo Pontifice inter Cardinales cooptaretur. Sed ad honorificentissimum conscribendorum Brevium munus ille profecto attulisse videtur ornamenta omnia, de quibus eundem Lucchesinium nostro in Dialogo de claris epistolarum Pontificiarum Scriptoribus enucleate disserentem inducimus. Cum vero in eo munere etiam Benedicto XIV. operam probasset suam, ac quatuor jam supra octoginta annos natus esset, gravedine ac tussi ejus valetudo ten-

tari cœpit; quo ex morbo se celeriter recreatum iri arbitratus est, si prolixiori deambulatione sudorem provocasset, quam quidem frustra sibi medicinam adhibuit. Cum enim violentiori motu debilitatum corpus domum retulisset, vis morbi noctu ingravescens illi spiritum interclusit, vitamque perbrevi tempore extinxit. Obiit A. D. MDCCXLIV. Elatus est solemni funeris pompa, sepultusque in Basilica Vaticana, cujus erat Canonicus. Fuit in eo præter ingenii doctrinæque præstantiam forma quædam expressa veteris officii, innocentiæ, probitatis. Sua enim agendi ratio aperta erat ac simplex, non fucata, non erudita artificio simulationis aulico, sive etiam Urbano. Ab ostentatione ac fastu maxime aberat, ac de se ita demisse sentiebat, ut nihil mallet quam vivens moriensque delitescere. Quæ summa animi demissio caussa fuit, cur nonnisi admodum senex Sacerdotio initiari voluerit. Ceterum omnia religionis officia sanctissime semper præstitit. Quotidie meditationi rerum cælestium ceterisque Christiani viri muneribus non modicum tempus tribue-

buebat, isque charitatis ardor, quo in divinis rebus obeundis incendebatur animus, sæpe etiam ex oculis ac toto ore eminebat. Paullo acrior natura cum esset, atque ad iracundiam proclivior, ita se comparabat, ut diligentissime caveret, ne ante occuparetur animus ab iracundia, quam providere ratio posset: quo factum est, ut ita moderaretur animo & orationi suæ, cum esset iratus, ut nulla vehementior concitatio appareret, nullum non modo maledictum, aut convicium, sed ne verbum quidem illi paullo acerbius elaberetur. Præter necessarium parabilemque vitæ cultum ceteris commodis carere facile poterat. Temperantiæ vero suæ maximum cepit fructum, quod tam bona prosperaque valetudine usus sit, nunquam ut in vita medicina indiguerit; atque ad extremam senectutem is esset totius corporis habitus, is oculorum vigor, ac vultus color, ut dissimularet ætatem. Quotidie, nisi pluvia impedimento esset (caloris enim aut frigoris intemperiem, ventorumque vim negligebat) horis pomeridianis circa Urbis mœnia curru delatus, mox prolixæ

deambulationi indulgebat. Quanquam solitudine mirum in modum delectaretur, non tamen ab hominum præsertim doctrina præstantium consuetudine ac familiaritate abhorrebat; eaque in amicorum congressibus huhumanitate, comitate, modestia utebatur, ut omnium sibi existimationem benevolentiamque conciliaret. Hactenus de vitæ genere, quam egit Lucchesinius: nunc de studiorum illius, scriptorumque ratione dicendum. Neque enim vita hominum litteratorum actionibus, quæ plerumque communes cum aliis sunt, neque quicquam habent admirationis, sed scriptis eorum continetur. Quicquid ipsi monumentis litterarum prodiderunt dignum, quod legatur a posteris, hoc, quodcumque est, propria illorum vita ducenda est, quæ non certo naturæ termino definitur, sed viget etiam post eorum interitum, atque immortalitati propagatur. Venio igitur ad Scripta Lucchesinii, qui eam animo opinionem imbiberat, neminem excellere in scribendo posse, nisi ab assidua veterum Latinorum, Græcorumqne lectione illam elegantiæ, simplici-

tati

tatis gravitatisque formam hauriat atque arripiat, unde existit illud perfectum scribendi genus, quod nemo non laudat, & pauci assequuntur. Latinos ille igitur Græcosque classicos Scriptores veteres nocturna diurnaque manu versabat: Livii vero lectione ita delectabatur, ut plus tricies totum perlegerit. Is tamen etiam recentiorum libris temporis plurimum tribuebat, qui sive in mathematicis, sive in philosophicis disciplinis, quas apprime callebat, novi aliquid afferrent. Ampla hac pulcherrimaque rerum verborumque supellectile instructus, ad scribendum accessit. Hic tamen, quæ fuerint de ejus Scriptis eruditissimorum hominum judicia, afferemus; de nostro silebimus, ne forte benevolentiæ, pietatique, qua illius memoriam jure prosequimur, tribuisse plus videamur, quam veritati. Atque illud in primis mirantur omnes, quod cum magna ex parte Lucchesinii ætas in ea tempora inciderit, quibus nescio quo fato pravum quoddam scribendi genus atque a veterum imitatione prorsus alienum in Italia obtineret,

ret, ejus pravitatis adeo expers fuerit, ut potius in alteram partem peccare visus sit nimis severæ castigatæque orationis. Gravior itaque nonnullis scriptor, quam suavis videri solet, quod minus voluptati aurium studeat; dumque omnia religiosissime ad veterum imitationem effingit atque exigit, minus numerosa ejus cadat oratio. Incredibile dictu est, quanta litterariæ Reipublicæ approbatione non in Italia solum, sed etiam in Germania, in Gallia excepta fuerit XII. Demosthenicarum orationum Latina interpretatio. Eam Rollinus Latinæ Græcæque linguæ studiosis proponit ad legendum. Gravina autem cum in publico litteratorum hominum cœtu Lucchesinium offendisset, illi palam maximopere gratulatus est, quod ea interpretatione Græcarum Latinarumque litterarum gloriam fere unus in Urbe pulcherrime sustineret. Muratorius denique ad Lucchesinium scribens præter ceteras laudes, o *Te felicem*, inquit, *qui in utraque lingua civem agere potes*! Sed cum non omnibus de optimo interpretandi genere una sit eadem-

demque ſententia ; alii enim negligendam eſſe elegantiam , dum conſtet interpretis fides ; alii de fide aliquid detrahendum , ut elegantiæ ſit locus ; alii mediocritatem quandam tenendam eſſe arbitrentur , minus miror non deeſſe aliquos , qui Volſii interpretationem Lucchefiniæ anteferendam putent : omnes tamen eruditionis pleniſſimas animadverſiones , quibus orationes ſingulas adornavit , mirum in modum commendant ; multum enim ſplendoris ac lucis Atticis antiquitatibus attulere . Neque vero , qui oratorum principem Latine vertit , oratoria ipſe caruit laude . Plures habuit Romæ ſive in ſacris ædibus , ſive in publicis academiis ac litteratorum hominum cœtibus orationes ; ſed omnino quatuor in lucem editæ ad poſteros pervenere , videlicet ; *oratio de S. Joanne Evangeliſta* ; *oratio in celebri Arcadum academia , dum publice plauderet Clem. XI. P. M. inaugurationi , habita* ; *oratio in funere Luſitaniæ Regis Petri II. habita in templo Sancti Antonii ejuſdem Nationis , dum ei Regio nomine parentaretur* ; *oratio in funere*

Clem. XI.

Clem. XI. P. M. In hisce orationibus genus quoddam dicendi Atticum secutus est, ut facile Demosthenis imitatorem agnoscas. Extat etiam alia oratio Etrusco sermone scripta de Picturæ, Sculpturæ & Architecturæ præstantia, quæ ab eo in academia pulcherrimarum artium recitata est. Sed nulla in re præstantissimum ejus ingenium ac doctrina singularis magis emicuit, quam cum Latinam suorum temporum historiam a Noviomagensi pace adorsus scribendam suscepit. Sed hic, opinor, non erit ab re paucis referre, quibus præsertim de caussis ad tantum ac tam difficile opus animum adjecerit. Vehementer enim dolebat splendidam illam atque magnificam tractandæ Historiæ rationem, qua veteres Græci Romanique Scriptores immortali cum laude usi olim fuissent, penitus obsolevisse; statuebatque in hac litterarum luce, atque in ea præsertim ætate, quæ rerum gestarum magnitudine, splendore, copia nulli secunda esset, nihil desiderari magis, quam Historiam ad veterum imitationem diligenter exactam: nunquam plures Historicos, quam sua

ſua ætate ; & vero etiam noſtra extitiſſe, nunquam tamen minus Hiſtoriæ conſultum fuiſſe ; quod homines, qui maternam linguam vix calleant, & ne vix quidem, a ceteris vero optimarum artium ſtudiis atque doctrina ſint imparati, ad ſcribendum accedant, pareſque ſe tanto muneri arbitrentur : itaque fieri, ut hujuſmodi Hiſtoriæ nullo artificio, nulla verborum elegantia, nulla vi ſententiarum ſcriptæ, qua celeritate in lucem prodeant, eadem intercidant atque extinguantur ; dignæ ſane, quæ Annalibus Voluſii comparentur. Ad revocandam igitur veterem illam rationem nihil conſultius fore cenſebat, quam ut quodam veluti Litterariæ Reipublicæ decreto ſanciretur, res poſterorum memoria dignas non niſi Latinis litteris commendandas. Qui enim eſſent ab optimarum artium ſtudiis atque a doctrina minus inſtructi, ac Titum Livium, Saluſtium, Cæſarem, ceteroſque præſtantes Latinos Hiſtoricos, quorum unuſquiſque peculiari quadam laude mirifice excelluit, imitari ſe poſſe diffiderent, a ſcribendo deterrerentur, neque nos futilibus commen-

men-

mentariis, hiſtoriiſque vernaculo ſermone, perperam ſcriptis quotidie obrueremur. Quid? quod Latina ſua ſe nobilitatis antiquitate tuentur, & ubique gentium perleguntur, cetera vero ſuis continentur finibus, iiſque non admodum magnis. Itaque qui materno, quam Latino ſermone malunt pulcherrimarum maximarumque rerum notitias poſteris tradere, non minus ſuæ, quam eorum, de quibus ſcribunt, gloriæ magnopere invidere putandi ſunt; quod multo certe honorificentius ſit non ſolum apud ſuos, ſed etiam apud exteras, immo apud omnes gentes cognoſci ac celebrari. Huc accedit, quod ea vis eſt & natura Latini ſermonis, ut ab eodem Hiſtoria quandam dignitatem, vires & nervos mutuari videatur. Jam vero quanquam Luccheſinius ea eſſet modeſtia præditus, ut Latini Hiſtorici perſonam cum dignitate aliqua ſuſtinere ſe poſſe diffideret, ea tamen fuit magnitudine animi, ut ſuo conatu aliis incitamento eſſe vellet. Et certe in Hiſtoria, quam ſcripſit Luccheſinius, ſibi imitandum propoſuit quicquid in ſingulis antiquis Hiſtoricis admiratio-

nem

nem habet, ac legentium animos percellit atque afficit, ut dolendum propemodum illi defuisse otium, quo tam egregium laborem ad tria volumina jam perductum prorsus absolveret. Hoc autem postremo loco libet addere, quod tamen minime sejunctum a re proposita videri potest, Patriæ quidem meæ jure esse gratulandum, quod in tanta præstantium Historicorum inopia duos uno ferme eodemque tempore tulerit præstantissimos Latinos Historicos Lucchesinium scilicet, & Castruccium Bonamicium fratrem germanum meum, qui Lucchesinii exemplo excitatus, de rebus ad Velitras gestis, deque Italico bello Latinos Commentarios edidit. Hoc enim vere & sine ullo arrogantiæ metu affirmare posse videor eosdem Commentarios ob summam scribendi elegantiam & vim, atque ob summam veterum imitationem adeo germanæ Latinitatis amatoribus probatos fuisse, ut in publicis aliquot Italiæ, Bataviæ, Angliæquæ ludis cum Cæsare, Salustio, Livio prælegi vulgo soleant. Illud enim vero graviter deplorandum, tam breve illi fuisse vitæ curricu-

ricu-

riculum, qui tam facile possset ætatis res gestas suæ immortalitati commendare; cum in ea Historiæ parte, quam attigit, non Historicus unus e multis, sed inter multos prope singularis fuisse videatur.

OPERA EDITA.

DEMOSTHENIS ORATIONES XII. de Republica ad populum habitæ, Latio donatæ a Jo. Vincentio Lucchesinio Patritio Lucensi cum notis criticis & historicis, & cum Græco textu ad SS. D. N. Clementem XI. P. M. Romæ 1712. *in* 4.

JO. VINCENTII LUCCHESINII Patritii Lucensis Historiarum sui temporis a Noviomagensi pace Volum. III. in 4. *Primum volumen editum fuit Romæ a Petro Ferrio, secundum & tertium ab Hieronymo Mainardio an.* 1738. *in* 4.

ORATIO de S. Johanne Evangelista Romæ 1700. *in* 4.

—— *in celebri Arcadum Academia dum publice plauderet Clement. XI. P. M. inaugurationi; habita a Joh. Vincentio Lucchesinio Lucensi Romæ* 1701. *in* 8.

—— *in funere Serenifs. Lusitaniæ Regis Petri II. habita in templo S. Antonii ejusdem Nationis, dum ei regio nomine parentaretur &c. Romæ* 1707. *in* 8.

ORAZIONE in lode delle belle arti del Dissegno. Roma 1722.

JOSE-

JOSEPHO MAZZOLARIO

ANGELUS FABRONIUS. S.

Miraberis certe quod ego scribendum susceperim de Bernardino Perfectio, postquam tu illius vitam & copiosissime, & elegantissime tuo more explicasti. Non potui id negare litteratis quibusdam Senensibus, qui a me non tam postulare, quam exigere pro jure nostræ amicitiæ videbantur, ut Perfectium in societatem vocarem illustrium virorum, qui Decadas meas exornare debent. Plurimum se gaudere dicebant, quod tu de admirando illo Poeta Italice scripsisses; se non solum sperare, sed etiam confidere te de eodem plura Latine prolaturum; optare tamen, ut in idem opus ego quoque & studium, & diligentiam conferrem. Equidem invitus suscepi hujusmodi onus, cum tecum posse ullo modo contendere desperarem. Quid enim unquam in lucem emisisti, quod in suo genere perfectum non esset? Quæ verborum elegantia! qui delectus, nitor, ac splendor! qui orationis ductus, ornatus

tus, & copia! quam nihil non venustum, nihil non limatum, nihil non acri studio judicioque perpolitum! Atque hoc etiam mirabilius est, quod tibi non minus in numeris adstricta quam in soluta oratione excellere contigit, quod quam rarum sit, omnes ii norunt, qui utrumque scriptionis genus tentarunt. Ego vero & ætate, & ingenio, & exercitatione longe tui dissimilis, qui sperare possum aliquid me elaboraturum, quod scriptorum tuorum comparationem sustineat? Hanc excusationis caussam attuli Senensibus, ne tecum conferrer; ac plures etiam collegissem, ni veritus fuissem crimen arrogantiæ subire, quod me judicio cujusquam existimarem tecum posse comparari. Cessi ergo illorum voluntati non sine spe adjumenta & subsidia ad opus perficiendum a te obtinendi; quam spem quod non passus fueris decipi maximas tibi gratias ago, agamque dum vivam. Vale.

Romæ VIII. Kal. Sept. an. MDCCLXX.

BER-

BERNARDINUS PERFECTIUS.



ERNARDINUS PERFECTIUS natus est Senis nobilissima Etruriæ urbe, nobilissimisque parentibus Petro Angelo Perfectio, & Ursula Amerighia an. a reparata salute MDCLXXX. VI. id. Septembris; educatus autem sic, ut nemo æqualium magis. Degens in patrio collegio sub Jesuitarum disciplina, studia humanitatis, & Philosophiæ exercuit, nec mediocrem operam Juris prudentiæ impertivit. Sed nulla re magis quam Italica poesi delectatus est, ad quam a natura non modo factum, sed elaboratum fuisse illa satis ostendunt, quod septennis quædam ejus generis carmina, quæ a nobis Italis *Sonetti* appellantur, sane tolerabilia confecerit; quodque illa ipsa ætate non semel auditus fuerit versus ex improviso fundere vel in materna mensa (patrem enim infans amisit) vel in æqualium corona. Cum igitur quo quisque fertur danda esse vela intelligeret, nullum abire sinebat diem, quo

 plu-

plurimum cum musis non versaretur. Latinas initio coluit, quod illi vere erat persuasum sine iis Italicas inopes, & infirmas esse; libros omnes, qui artis præcepta tradiderunt, volutavit; continua optimorum scriptorum lectione Etruscæ linguæ affluentibus copiis se ditavit; nihilque earum rerum omisit, quibus id, quod expetebat, consequi se posse confideret. Iis temporibus florebat Senis acumine ingenii, & admirabili quodam lepore Joannes Baptista Bindius, cui tam facile erat ludicros versus ad imitationem Berni ex improviso conficere, quam homini loqui. Audivit illum quodam die Perfectius; & quoniam facile omnes trahimur laudis studio, sensit ille maxime animum suum inflammari ad eosdem plausus, qui Bindio tribuebantur, promerendos. Primum, amicis solum paucis audientibus, ingenii sui periculum fecit, quod cum feliciter illi successisset, brevi, iisdem hortantibus amicis, e privatis latebris in publicum conspectum, lucemque hominum prodiit. Accessit & aliud incitamentum. Inambulabat per urbem Bernardinus æstivo noctur-

no

no tempore magna ſtipatus amicorum caterva. Cum ille cœpiſſet veluti per jocum canere de laudibus clarorum quorundam Senenſium, tanto ſe animi impetu ac furore correptum ſenſit, ut ex tempore flumen fuderit optimorum graviſſimorumque verſuum; & obſtupeſcentibus omnibus, domum ſuam, quaſi ad triumphum, ductus fuerit. Ipſe autem cum intelligeret quam arduum eſſet tueri perſonam extemporalis poetæ, qui hoc ſuſcipere ac polliceri videtur, ut de omni re, quæ ſit propoſita, ab eo poetice, ornate, copioſeque dicatur, omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam ſic tenendam putavit, nihil ut ſibi prope ſtatueret licere neſcire. Itaque non dubitaverim eundem prædicare theologum, philoſophum, mathematicum, juris conſultum, ſatis anatomes & medicinæ peritum, ex quarum facultatum cognitione ſemper ejus verſus effloreſcebant ac redundabant. Mirum vero quam in promptu haberet exemplorum vim, ut omnis antiquitas, omniſque hiſtoria poſita ante oculos ejus eſſe videretur. Romæ cum

 eſſet,

esset, & de more versus funderet ex tempore, incidit in intimum Theologiæ locum percunctatione quæsitum, huncque docte adeo tractavit, eleganterque adeo exposuit, ut qui aderant theologi, & in his Bernardus Vargas Hispanus e S. J. nihil simile unquam se audivisse pronuntiaverint. Nec minus obstupuit Cæsar Calinius ex eadem Societate editis in sacram Scripturam commentariis illustris, cum Bononiæ audivit Perfectium ita de Regum historia quærenti respondentem, ut omnium tum Judæ, tum Israelis Regum nomina ordine enumeraret, & clariora facta recenseret. Possem & alia multa exempla proferre, ex quibus intelligi posset quam Perfectius ornatus esset uberrimis doctrinis & artibus; sed prolatis contenti erimus, præsertim cum vivant adhuc plurimi, qui cum sæpe Perfectio canenti adfuerint, nulla unquam in re illi proposita hæsitasse, aut rudem se ostendisse, nullisque terminis circumscripsisse jus suum testentur. Quæ cum per se magna sint, necesse est etiam mirabilia fuisse, quod omnia claris artis suæ coloribus

bus pingeret Perfectius. Cum ad dicendum accederet, poſcebat argumenta plura, electionem auditoribus permittens; prooemiabatur apte, narrabat aperte, ornabat accommodate ad rerum dignitatem, docebat, delectabat, afficiebat; cumque incredibili eſſet memoria, breviter colligebat omnia, quæ multis verbis dixerat. Inter dicendum *divino quodam furore*, quod de Jone affirmavit Plato, *corripiebatur, ut ii qui Corybantum ſpiritu aguntur*; ardebant oculi, criſpabatur frons, anhelabat pectus, ceteraque omnia apparebant indicia furoris, ſine quo Democritus Abderites, ut teſtatur Cicero I. de Divinatione, utque nos alias commemoravimus, quemquam magnum poetam eſſe poſſe negabat. Et profecto extra ſe rapi, & ſui quodammodo oblivisci is debet, qui alienam perſonam induit, alienos mores, alienos affectus, aliena facta dictaque aptis verbis & ſententiis exprimere ſtudet. Quare de Perfectio Ariſtotelia illa de Maraco Syracuſano prædicari poſſunt: *Μάρακος δὲ ὁ Συρακούσιος καὶ ἀμείνων ἦν ποιητὴς, ὅταν ἐκσταίη*. Frigida inter canendum

dum utebatur non ſolum ad fauces recreandas, ſed etiam ad animi temperandum ardorem: cum vero finem canendi feciſſet prope exanimatus jacebat; noctem, quæ cantum conſequeretur, tranſigere cogebatur inſomnem, nec niſi longo poſt tempore vehemens ſanguinis motus conſedebat. Idcirco verſus cantando pronuntiabat Perfectius, ut aliquid ad cogitandum haberet ſpatii, & certius carminum incederent pedes. Adhibebat etiam citharœdum, qui hos aut illos pro carminum varietate modos faceret. Nemo enim ignorat quam poeſis animi ſenſus pervadat, ſi muſices lepore ac jucunditate condiatur, quæ duæ artes ſic amice conjurant, ut altera alteri quaſi mutuas operas præbeat. Quare minime eſt mirandum ſi antiquis temporibus iidem eſſent muſici, qui poetæ. Quotieſcumque vero illo ſuo furore corripiebatur, adeo in dicendo celer erat (& porro celeritas quædam in extemporali poeſi neceſſaria eſt, ut non modo defici, ſed etiam laborare turpe exiſtimetur) ut vel ipſe citharœdus minime illum conſequi poſſet. Inter omnia Itaɫici

lici

lici carminis genera 'ἐγδοας , quod nonnulli epicum appellant, quodque omnium est difficillimum, ei maxime erat in deliciis, quanquam mollioribus numeris sæpe etiam utebatur. Omnino quot sunt carminum genera, totidem fuisse videntur in potestate Perfectii, qui sive gravis, sive tenuis, sive temperatus esse vellet, semper cum admiratione & plausu summo audiebatur: nihil habebat insolens, nihil durum & odiosum; semper videbat quid deceret non in sententiis solum, sed etiam in verbis; semper ei adesse videbantur rem ad vivum exprimentes imagines; ita vero dominus erat verborum similiter desinentium, ut hæc sequerentur quocunque torqueret. Sunt qui in rebus describendis humilibus, rusticisque ejus potissimum eluxisse præstantiam arbitrentur, ut vel ipsos pueros, puellulasque atque pastores loquentes te audivisse putasses. Quod quidem nonnullis facile videri potest, sed nihil est experienti minus. Perpetua enim quadam suavitate sit condita oratio oportet, habeatque colorem quendam naturalem, non fucatum, sitque, ut

ut ita dicam , plane integra valetudine . Cum vero de rebus grandioribus dicas , ipsæ res verba rapiunt ; cumque feratur veluti torrens oratio , quamvis multa cujusquemodi secum trahat , non tamen omnia animadvertes , & animadvertas licet animum vix illa offendunt. Quoniam vero nihil feracius erat ingenio Perfectii , facile is poterat , si vellet , eandem rem augere laudando , vituperandoque rursus affligere . Hæc sunt , quæ clamores & admirationes excitabant quoties Perfectius versus fundebat , ad quem audiendum undique concurrebatur , ut vel ipsa laxitudo aularum ad continendam hominum multitudinem angusta esset . Sed in omni vita nihil fuit Perfectio ad laudem illustrius , quam dies illa , qua in Capitolio poetica corona donatus est . Ad Urbem secundo is venerat in comitatu Violantis Bavaræ , cum Pontificatum Maximum teneret Benedictus XIII. Non hic quidem intelligens & amans Poesis erat , sed adeo multa & singularia de Perfectio prædicari audierat , ut dignum illum existimaverit , qui laurea corona insigniretur . Ut vero omnibus ostenderet

exi-

eximium hunc honorem velle se merito, minime vero gratiæ tribuere, jussit Perfectium publice periclitari vires ingenii sui. Constituta dies, delecti judices, eorum obligata religio in ferenda sententia; proposita demum argumenta duodecim ex Theologia, Philosophia, Mathesi, Juris prudentia, Ethica, Poesi, Medicina, Gymnastica, atque ex universa Philologia deprompta, quibus omnibus ita satisfecit Perfectius, ut omnium consensu judicatum fuerit ceteros a Perfectio semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese fuisse superatum. Hac pronuntiata sententia, læta spectaculo dies advenit. Equis insignibus & curru aurato vectus Perfectius, eademque comitatus pompa, qua publice incedere solent Populi Romani, ut vocant, Conservatores, ab Archigymnasio Romano ad Capitolium ascendit. Non solum Capitolium, sed vel ipse viæ, per quas ille transivit, insigni apparatu, summaque celebritate omnis generis hominum, ætatum, ordinum splendebant. Inter populi clamores in aulam Capitolinam introductus fuit; cumque ad pe-

des accessisset Marii Frangipanii Senatoris Urbis, ab eo his conceptis verbis laurea corona donatus fuit : *Eximium hoc Poeticæ laudis decus, quod tuo capiti impono sub felicissimis auspiciis D. N. Benedicti Papæ XIII. Eques egregie, sit publici non minus erga te studii argumentum, quam obsequentissimi animi erga amplissimam ac plane regiam benevolentiam, qua decoraris*. Cui Perfectius : *Poetica laurus immeritæ imposita fronti excelsam Sanctissimi Patris ac Pontificis Papæ Benedicti XIII. munificentiam, effusamque S. P. Q. R. erga me voluntatem testatur ; quarum utraque aut honore dignos invenit, aut facit*. Invitatus mox a Joanne Crescimbenio Arcadiæ Custode, ut quas musas conciliatrices tanti honoris habuit, easdem grati animi testes adhiberet, id tam felici successu præstitit, audiente ipsa Violante, Cardinalibus, Regum legatis, & Romanæ nobilitatis flore, ut nunquam dixisse melius visus fuerit. Nec dissimiles profecto gratiæ debebantur ob honorem, qui omnium quibus affici poeta potest, amplissimus existimari debet,

& ad

& ad quem idcirco nonnisi paucissimis, iisque singulari virtute præditis aditus patuit. Impartitus enim Francisco Petrarchæ fuit, decretusque Torquato Tasso: sed hic præoccupatus morte assequi illum minime potuit. Talis autem ac tantus honos aliis quoque honoribus cumulatus est. Donatus enim Perfectius fuit jure civitatis Romanæ, potestateque inferendi lauream coronam in gentilitium stemma & ad memoriam poeticarum laudum, & ad illustrandam magis domesticam nobilitatem. Cusa etiam tum Romæ, tum alibi numismata ejusdem effigiem capite laureato ad vivum exprimentia. Romanus quoque Arcadum cœtus a se extare voluit monumenta gloriosissimi facti. Senenses vero, qui magnam se adeptos gloriam arbitrabantur ob collatos civi carissimo singulares honores, gratias Pontifici agendas communi consilio decreverunt, multaque alia fecerunt, quibus eosdem illos honores, si qua ratione possent, majores redderent. Sint sane hæc magna, quæ re vera magna sunt. Quod vero in tanta celebritate famæ, ut omnibus esset

esset notus; in tantis hominum plausibus, ut longe omnium non ejusdem modo ætatis, sed etiam qui fuissent in extemporali poesi esse princeps, & quasi e cælo delapsus prædicaretur; in tantis denique ornamentis & præmiis virtutis modestiam semper servaverit, hoc maximum reputari debet. Non more poetarum de se gloriose prædicabat; efferentique aliquando Clementi XI. summis ad cælum laudibus illius præstantiam in poesi, in hæc verba dicitur modeste respondisse. *Hoc quidquid est Dei munus est, qui ut Balaam jumentam loquentem fecit, ita me poetam facere voluit: haud multum possumus, Beatissime Pater, in iis gloriari, quæ ab alio accepimus.* Quod autem Perfectius nihil scripti relinquendum esse putaverit, & pauca illa, quæ extant, excepta dum canebat librariorum manibus, eodem quidem aut invito aut ignorante, postea rejecerit, & tanquam sua minime agnoverit, hoc non tam modestiæ quam prudentiæ tribuendum est. Intelligebat enim si oculis subjecta fuissent fidelibus, quæ demissa per aures non solum

per-

perplacebant , sed etiam admirationem excitabant , multum de laude sua amissura . Nam subita & fortuita oratio quamvis scriptorum similis audienti , cui multa effugiant necesse est , videri possit , plurimum tamen semper aberit a perfectione , quam nonnisi commentatio diuturna consequi poterit. Nec minus refugiebat Perfectius a prehendendo stylo , quod se putabat satis magnam adeptum esse dicendi gloriam , eamque etiam majorem visum iri , si in existimantium arbitrium sua scripta minime venissent . Quod enim dicit Cicero usuvenire plerunque per. ingeniosis hominibus , neque satis doctis , id Perfectio accidebat , scilicet ut cum sedatus ad scribendum accederet , motus omnis animi , tanquam ventus , eum deficeret , ejusdemque vis occideret & flaccesceret oratio . Cum eximia modestia conjungebat Perfectius parem facilitatem, suavitatemque morum ; quapropter ut animum cantare induceret , non necesse erat aut multum rogare , aut insidiari , aut speculari . Idem urbanissimus erat & venustissimus : vitavit tamen semper scurriles & mi-

micos ,

micos jocos, & quidquid ingenuitatem, gravitatemque vel minimum posset offendere. Neque opera, neque consilio, neque fide unquam defuit amicis & civibus suis, pro quibus, aliisque virtutibus meritissimo ab omnibus non solum diligebatur, sed etiam amabatur. Siquos vero habuit invidos & obtrectatores, eos & lenivit obsequio, & patientia mitigavit. Cum uxorem duxisset, pluresque liberos ex ea suscepisset, omnia mariti, & patris officia diligentissime explevit. Verum quoniam omnis virtus manca & infirma est, nisi a Deo proficiscatur, & ad eum referatur, ita Perfectio nihil fuit antiquius, quam ut dictis, multoque magis vita & moribus religionem, pietatemque in Deum præ se ferret. Statum quotidie seponebat tempus, quod orationi & meditationi rerum cælestium tribueret. Maxime autem in Christi vitæ, mortisque cogitatione acquiescebat, satis gnarus ibi eximia omnis exempli documenta in illustri posita monumento intueri atque imitari licere. Singulari etiam colebat studio Beatam Virginem Mariam; & si quis inter ca-
nen-

nendum ſibi dabatur aditus, in illius laudes libentiſſime excurrebat. Ut donatus poetica corona fuit, recta e Capitolio ad Ædem S. Mariæ ad Martyres contendit, ut debitas illi gratias ageret, cui tantum honorem referebat acceptum. Juſſit etiam teſtamento eandem coronam Virginis aræ in perpetuum ſuæ erga eam obſervantiæ argumentum appendi. Sæpe de morte, tanquam de migratione ex una in alteram domum, quod eſt non mediocre bene actæ vitæ ſignum, loquebatur. Tale vero ei contigit mortis genus, quale ſuſpicabatur. Apoplexi enim perculſus exeunte Julio an. MDCCXXXXVII. paucos poſt dies vitam cum morte commutavit. Publice tota celebrante civitate, laudeſque mortui eleganti oratione prædicante Nicolao Joannellio, ſepultus fuit in avito monumento, quod eſt extra urbem in Æde S. Franciſci. Uxor vero ejus, liberi, ac frater prope ſacellum B. M. V. quod eſt in Æde Principe, cuique coronam lauream, ut paullo ſupra commemoravi, appendi voluit, marmoreum

V ſa-

ſatiſque magnificum monumentum ei faciendum locarunt. Monumento vero hoc inſculptum eſt elogium.

D. O. M.

EQUITI BERNARDINO PERFECTI PATRICIO SENENSI
ETRUSCIS EX TEMPORE CARMINIBUS
POETAE CELEBERRIMO
IN CAPITOLIO III. ID. MAII A. MDCCXXV. LAUREATO
CORONA VIRGINI PATRONAE EX TESTAMENTO DICATA
ANT. CAJETANUS GERMANO FRATRI BENEMERENTI
VINCENTIUS ET JOANNES BAPTISTA PATRI OPTIMO
MARIA FRANCISCA SALVANIA VIRO CARISSIMO
MOERENTES PP.
OB. AERAE CH. A. MDCCXLVII. K. SEXT.
VIXIT. AN. LVI.

PHI-

PHILIPPO BONAMICIO

ANGELUS FABRONIUS. S. P. D.

O Fortunate (libet iisdem pene verbis affari Lucchesinium, quibus Alexander Achillem, cum in Sigæo ad ejus tumulum adstitisset) qui tuæ virtutis Bonamicium præconem invenisti ! Non is quidem est Lucchesinius, ut, quamvis non extarent quæ tu de illo elegantissime scripsisti, eodem tumulo, quo corpus illius tegitur, nomen quoque obrueretur; cum nulla unquam ætas, dum bonos erit litteris, de illius præstantia in Græca Latinaque lingua conticescet. Non mediocre tamen ejusdem laudibus accessit ornamentum, quod tu rerum ab illo gestarum laudator fueris; quodque fueris non tam sponte tua; quam meis cohortationibus impulsus, maximas tibi gratias & ago & habeo. Utinam, Bonamici, qui hos libros legent non solum ad intuendas, sed etiam ad imitandas clarorum virorum, quas expressimus, imagines, toti accendantur. Neque enim aliam rem ullam no-

bis in hoc opere propofuimus nifi aliorum utilitatem. Quod ut facilius obtinerem, vehementer instigavi nonnullos doctos Latinis litteris viros, ut mihi effe vellent & focii & confortes gloriofi laboris. In eorum numero fuit Jacobus Facciolatus. Is initio magnas in me fpes excitavit; poftremo ætatem & incommoda valetudinis excufans, me rejecit ad vitam Philippi a Turre, quam jampridem & fcripferat & ediderat. Recepi homini amiciffimo me eidem vitæ, quamvis illam pleniorem optaffem (non pauca enim fcripfit ille vir ad antiquitatis ftudia natus, quæ bono in lumine collocari intereffe poterat) in meis Decadibus locum conceffurum, datamque fidem nunc libero. Hoc quidquid eft, mi ornatiffime Bonamici, fcire te volui. Cura ut valeas.

Romæ poft. Kal. Septembris MDCCLXX.

PHI.

PHILIPPUS A TURRE EPISCOPUS ADRIENSIS.



Hilippus a turre ea morum probitate fuit, eaque litterarum gloria, ut merito de fortuna queri potuerit, nisi ad ceteras animi dotes insignem moderationem addidisset. Non caruit ille quidem bonis, quæ fortunæ dicuntur; abundavit etiam, si fortunæ dumtaxat ratio ducatur; sed singularis illius atque inaudita virtus majus aliquid postulare visa est, unde hominem posteri metirentur. Natus est in Civitate Austria, vulgo *Cividale* Kal. Maj. anno MDCLVII. parentibus apprime nobilibus Mario a Turre, & Camilla de Frumentinis. Quod in prima ætate rarissimum est, libros semper maluit, quam crepundia: cumque Rethoricum & Philosophicum cursum in patria celerrime absolvisset, Patavium migravit. Hic rursus humanitatem, & politiores litteras tractare cœpit, ad quas potissimum factus videbatur; tum se Juris prudentiæ dedit: nec interim Mathematicum, aut Ana-

tomicum ſtudium, qua erat ingenii abundantia, prætermiſit. Annos natus fere viginti publicum utriuſque Juris examen ſubiit, probatuſque ſuffragiis omnibus in patriam revertit; ubi paucis poſt annis Patruo Civitatis Canonico ſuffectus, antiquæ eruditionis ſtudium ſuſcepit, ſeu potius revocavit. Hunc enim amorem jam tum imbiberat, cum Patavii eſſet; & Octavium Ferrarium, eruditiſſimum ſuperioris ſæculi virum frequentiſſime audiret. Tametſi Ferrarius elegantiorem antiquitatem ſequebatur; Philippus vero ad eam ſe contulit; quæ rudioribus monumentis, & icciрco magis reconditis continetur, cujuſmodi ſane in ejus Capituli archivio plurima ſunt. Per hæc & ornandæ patriæ, & obſcuriſſimæ ætatis illuſtrandæ incredibili ardore ſuccenſus eſt: Sed cum intelligeret hoc ſtudii genus magnam librorum copiam, & eruditorum commercium poſtulare; Romam demigravit anno MDCLXXXVII. ibique ita ſe totum antiquæ hiſtoriæ tradidit, præſertim vero Eccleſiaſticæ, ut non multo poſt inter Academicos Collegii *de Propaganda* relatus

latus fuerit. Tum vero primum in magna illa non dicam multorum hominum, sed omnium fere nationum luce fulgere cœpit, & quantus futurus esset ostendere. Ingenium multi admirabantur, sed acerrimus hominum æstimator Carolus Augustinus Fabronus, nunc S. R. E. Cardinalis, in primis ornavit, ejusque commendatione factum est, ut cum Eminentissimus Josephus Renatus Imperialius Ferrariam Legatus missus esset, Philippum sibi adjungeret, & juri dicundo præficeret, quod officium *Auditoris* appellant. Sexennium in ea Legatione commoratus, ita se omnibus singulari prudentia, fide, integritate commendavit, ut cum Cardinalis provincia decederet, eum sibi retinendum putaverit, ut Romæ quoque in multarum *Congregationum* negotiis ejus opera uteretur. Quo in munere sane gravissimo, quidquid supererat otii, id totum in antiquitatis studium conferebat; eaque industria celeberrimo Cardinali Norisio plurimum probatus, ad intima ejus litterarum consilia admissus est, multisque benevolentiæ testimoniis supra ceteros ornatus.

 Acci-

Accidit per ea tempora, ut Antii rudera ad portus constructionem effoderentur; ex quo intellectum est litteras quoque fortuna indigere; nihilque admodum valere sive ad opes, sive etiam ad famam, nisi illam sibi sociam adsciscant. Cum enim magnis illis effossionibus monumenta quædam antiquissimæ formæ detecta essent, hinc sibi Philippus occasionem arripuit ingenii prodendi suo eo Commentario, qui est *de Monumentis Antii*, in quem tam multa, tam varia, tam recondita ex omni eruditione conjecit, ut minima pars titulo significetur. Egregiam lucubrationem Innocentius XII. Pontif. Max. valde probavit, nec laudibus solum, quarum multi solent esse liberalissimi, sed etiam beneficiis ornavit, plura daturus nisi fato interceptus fuisset. Verumtamen quod ille præstare non potuit, abunde præstitit Clemens XI. qui pro sua quadam non religionis modo, sed etiam litterarum cura Philippum complexus, Adriensem Episcopum renunciavit VIII. Id. Febr. MDCCII. Qui hominis virtutes & ingenium noverant, non eum libenter discedere

Ro-

Roma patiebantur, ut in Italiæ angulo, nec prorſus illuſtri, neque ſaluberrimo deliteſceret: ſed ille tamen nihil tale recuſandum ratus, in quo divina quædam vis apparebat & providentia, Rhodigium ſtatim profectus eſt, totumque ſe ejus Eccleſiæ rationibus addixit. Magna in eo fuit & intelligendi & agendi celeritas. Itaque cum omnia ſuæ provinciæ negotia ipſe per ſe diligentiſſime expediret, optimique Præſulis partes impleret, ſua tamen tempora muſis quoque tribuebat. Cujus induſtriæ quærenti ſocium non defuit Comes Camillus de Silveſtris, notum in republica litteraria nomen, ætate pene pari, morum vero elegantia & antiquitatis ſtudio nihil diſſimili. Hunc ſibi Philippus tanquam divinitus datum in urbe multis quidem rebus ornata, ſed litteris colendis non admodum opportuna, cupidiſſime adjunxit, eoque uno familiariſſime, quamdiu vixit, uſus eſt. Curavit etiam ſibi a Dominicana familia virum in primis clarum Thomam Minorellum, ex cujus politiſſimo ingenio, quo tempore Rhodigii fuit, & ipſe magnum cœpit conſuetu-

dinis

dinis fructum, & Rhodigina juventus institutionis. Sed & absentium amicitias studiosissime coluit, quicumque aliquo insigni litteraturæ genere præstarent; & Patavium identidem excurrebat, iis præsertim diebus, quibus Seminarii census ab Eminentissimo Georgio Cardinali Cornelio haberi solet, cum ut se omnium fere disciplinarum, linguarumque disputationibus continenter habitis recrearet, tum vero maxime ut Antistiti optimo, & ad litteras promovendas incitatissimo gratificaretur. Cetera lætus, & quod in humanis rarissimum est, sua contentus sorte, id unum in primis annis dolebat, quod librorum copia careret, nec satis haberet fortunarum, quibus & Episcopalem dignitatem sustinere posset, & honestissimum hoc desiderium explere. Post aliquanto respiravit; instructaque decenter domo, de libris comparandis cogitare cœpit, quod ipsum ita præstitit, ut vel ex hoc uno de summa ejus sapientia conjici possit. Per hæc adjumenta non paucas pro re nata Dissertationes composuit; *de Taurobolio; de vermibus corporis humani;*

de

de Solis Eclipsi ; *de Anniæ Faustinæ nummo* ; *de annis Imperii Elagabali* ab iis editas , ad quos per epistolam missæ sunt , præter ultimam , quam edidit ipse typis Seminarii Patavini anno MDCCXIII. Scripsit præterea ad amicos multa non soluta modo , sed etiam ligata oratione ; quæ singula quidem minuta sunt , sed in unum tamen collecta corpus justum volumen efficerent . Nolim equidem , quæcumque in scriptis reliquit sive serio , sive joco fusa statim vulgari ; quam ego librariorum curam magnorum virorum existimationi sæpe fatalem animadverti . Sed quædam tamen de militaribus itineribus , & de tota illa controversia , quæ ipsi cum præstantissimo adversario Joanne Vignolio *de Imperio Severi Alexandri* fuit , omnino jacere non debent , quod jam ad umbilicos pervenerint , & famam ejus sustinere possint . Multa etiam mihi de Patriarchis Aquilejensibus legit , multa ostendit ex abditissima antiquitate depromta : sed pleraque informia sunt , nec lucem sperare possunt , nisi forte a clarissimo viro Justo Fontanino , qui & ea eru-

eruditione est, ut nihil hujusmodi formidare debeat, & iis moribus, ut nihil omittere possit, quod ad Præsulis amicissimi gloriam conducere videatur. Reliquum est, ut de ejus morte dicamus, quod paucis absolvetur: nam ne dissecto quidem exploratoque cadavere, medici ipsi ceteroquin peritissimi statuere potuerunt, quo genere morbi consumtus sit; quique hydropem accusant, ita rem involvunt, ut nec satis appareat quomodo gigni potuerit, nec quomodo cognosci, nec quomodo sanari. Quod certum est, duos ferme antequam moreretur menses, perpetua siti laboravit, eodemque tempore δυσυρία, morbo illo quidem non novo, sed pene jam familiari. Sitis in febriculam desiit, quæ & ab ipso contemta est, nec a medicis valde oppugnata, quod ex δυσυρία proficisci crederetur, nihilque ejusmodi portenderet, quale postea consecutum est. Quid plura? Sic erat in fatis: repente in extremis fuit. Itaque cum se ad supremum illud certamen rebus divinis comparasset, incredibili virtute & constantia decessit v. Kal. Mart. MDCCXVII.

Rho-

Rhodigii ſepultus eſt ingenti totius civitatis luctu, quæ calamitatem hanc acerbiſſime tulit, & pro ſumma temporum difficultate etiam in omen vertit. Talis fuit Epiſcopus, ut non ſolum cum probatiſſimis hujus ætatis, ſed cum veteribus etiam comparari potuerit. Severus & gravis, ſed idem, cum tempus poſceret, blandus & affabilis ſupra quam ejus vultus plane cenſorius polliceri videretur: ſermo compoſitus, & in re qualibet ita eruditus, ut ſemper meditatum crederes. Id fuit in illo ſingulare, quod cum plurimum temporis litterarum ſtudiis concederet, non tamen ſe rebus agendis ſubducebat; quo factum eſt, ut doctiſſimus idem eſſet, idemque prudentiſſimus. Hoc ipſi apud ſuos magnam auctoritatem conciliavit, liberalitas vero gratiam & benevolentiam. Amicitiis uſus eſt omnium ferme ſui temporis litteratorum, multorum etiam hoſpitiis: nam id in primis curabat, ut hoſpites frequenter haberet; cumque ipſe tenuiſſimo victu uteretur, alios ſplendidiſſime excipiebat. Sed hæc narratori ſatis: plura dabunt laudatores.

OPE-

Opera Edita.

MONUMENTA VETERIS ANTII hoc est inscriptio M. Aquilii, & fabula solis mithræ variis figuris & symbolis exculpta; quæ nuper inibi reperta, nunc prodeunt commentario illustrata, & accurate explicata. Accedunt Dissertationes de Beleno & aliis Aquilejensibus Diis, & de colonia Forojuliensi, Auctore Philippo a Turre ex eadem civitate Forojulio. Addita sunt fragmenta inscriptionum fratrum Arvalium recens in agro Romano effossa Romæ novis typis Cajetani Zenobii & Georgii Plachi 1700. *in* 4.

EPISTOLA fratribus, & filiis, clero, & populo Adriensi, cum ad Episcopatum Adriensem electus fuisset post. non. Feb. an. 1702. *Romæ novis typis & industria Cajetani Zenobii ad magnam curiam Innocentianam.*

—— *ad Bernardum Montfauconium de quadam tela, quæ non comburitur.* Extat in Diario Italico ejusdem Montfauconii pag. 450.

—— *ad Gasperum Charmies e Societate Jesu de inscriptione daurobolica reperta in viciniis Lugduni an.* 1705. Extat in tom. XVII. p. 167. Bibliothecæ Joannis Clerici.

LETTERA al Signor Dottore Giovanni Antonio Astori intorno a un medaglione Greco d'Annia Faustina terza moglie dell'Imperadore Elagabalo, nel quale pare che la tribunizia potestà V. d'Elagabalo ivi segnata combatta con gli anni dell'imperio di esso. Extat in Tom. IV. *del Giornale d'Italia* p. 360. Hæc epistola caussa fuit magnarum controversiarum. Hæ vero caussæ fuerunt alterius operis a Philippo conscripti, cui titulus:

DE ANNIS M. Aurelii Antonii Elagabali, &

de

de initio imperii, ac duobus consulatibus Justini Junioris Dissertatio Apologetica ad nummum Anniæ Faustinæ tertiæ ejusdem Elagabali uxoris. Patavii apud Johannem Manfrè 1713. *in* 4.

LETTERA al Signore Antonio Valisnieri intorno alla generazione de' vermi. Extat in libro Valisnerii, qui inscribitur: *Nuove osservazioni ed esperienze intorno all'ovaja scoperta ne' vermi tondi dell'uomo &c. Padova appresso il Manfrè* 1713. *in* 4.

—— *Al Signor Marchese Poleni intorno all'Ecclissi solare del an.* 1715. *In Padova* 1716.

—— *Al Signor Jacopo Facciolati sopra una pubblica inscrizione di confini, che stà registrata a lettere antiche nel Palazzo pubblico d'Asolo; e sopra un frammento d'altra inscrizione pur d'Asolo*. Extat in volum. I. *de' supplementi al giornale de' letterati d'Italia p.* 31. In volumine XXXIII. earundem Ephemeridum Italicarum extat vita Philippi satis copiose scripta a Hieronymo Lionio.

Opera Inedita.

DISCORSI e calcoli fatti per la Congregazione della Riforma del Calendario.

ISTORIA de' Patriarchi d'Aquileja.

RELAZIONE della città di Cividale. Hoc opere, quod magnam continet copiam veterum monumentorum, quæ nunquam antea lucem aspexerant, non tam historiam illustrare voluit Philippus patriæ suæ, quam totius Fori Julii.

RACCOLTA di carte e di notizie assai rare pel Vescovado d'Adria.

DIFESA della Dissertazione Apologetica de annis M. Aurelii Antonini Elagabali &c.

Claudi elogium potest inscriptione, quæ monumento, in quo conditum est cadaver Philippi nostri, incisa est, cujusque auctor fuit Justus Fontaninius.

PHI-

PHILIPPO A TURRE
EPISCOPO ADRIENSI
IN URBE RERUM DOMINA
INTERIORIBUS DISCIPLINIS
MORUMQUE SANCTIMONIA PROBATO
QUI
REM LITERARIAM EGREGIIS MONUMENTIS
AUXIT
POPULOSQUE SIBI RELUCTANTI COMMISSOS
VERBO ET EXEMPLO
TAM BENE SERVAVIT
UT FINITIMIS ET LONGINQUIS
MAXIMUM SUI DESIDERIUM RELIQUERIT
SOLA IMMORTALITATIS EJUS SPE LENITUM
OBIIT V. KAL. MARTIAS ANNO SAL.
MDCCXVII.
VIXIT ANNOS LIX. MENSES IX. DIES XXV.
NICOLAUS AC PETRUS A TURRE PATRICII
CIVITATIS FOROJULI
OB TANTI FRATRIS JACTURAM MOESTISSIMI
P. P.

FINIS.

IN-

INDEX
OMNIUM VITARUM

Quæ in tribus prioribus Decadibus continentur.



INDEX

RERUM MEMORABILIUM.

Quæ carent numero Romano in I. Decade reperiuntur.

A


FAC-

G

M

U

FINIS.



ERRATA.		CORRIGE.
Pag. 38.	lin. 16. aliasque	aliaque
47.	l. 13. pridem	quidem
166.	l. 20. vicario	vices
227.	l. 13. optiummor	optimorum
240.	l. 4. extemporaneo	extemporali
306.	l. ult. LVI.	LXVI.








1874

